

X. 3.

4.
2

ASSENTATIONES IN DISSERTATIONE JURIS ECCLESIASTICI

DE EO,

*QUOD CIRCA DECIMAS NOVALES IN
GERMANIA, AC PRÆCIPUE IN DIOECESI, ET
TERRITORIO COLONIENSI JUSTUM EST.*

QUAM

SUB PRÆSIDIO

PHILIPPI HEDDERICH

MIN. CONV. PRESBYTERI, S. S. THEOL. DOCTORIS, EMINENTISSIMI
PRINCIPIS ELECTORIS, ET ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS CONSILIARI
ECCLESIASTICI ACTUALIS, CONSILII ELECTORALIS ACADEMICI ASSES
SORIS, S. S. CANONUM IN ELECTORALI ACADEMIA MAXIMILIANEA
BONNENSI PROFESSORIS P. ET O. ATQUE INCLYTI COLLEGII
JURIDICI ASSESSORIS

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

CHRISTIANUS FRANC. WEIDENFELT

EX NEUCKIRCHEN, PATRIÆ COLONIENSIS JURIUM AUDITOR EMERITUS

AUTHOR ET DEFENDENS

ANNO MDCCCLXXXII. DIE XII. SEPTEMBRIS

SUBMISIT, CONTENTÆ, AC DETECTÆ

A

FULGENTIO DE VERITA.

SPECIMEN SECUNDUM.

VERCELLIS
MDCCCLXXXIII.



Difficile est Satyram non scribere. Nam quis iniquæ
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Caussidici nova cum veniat lectica Mathonis.
Plena ipso.

JUVENALIS *Satyr.* I. v. 30.





ANTITHESIS XXV.

Cum DEUS (namque erit ille mihi semper DEUS) nova otia fecerit, datam fidem liberemus, ac transeamus ad secundum dissertationis caput, quod versatur circa decimas novales, seu potius circa quaestione, cui decimæ novales in Germania, ac præsertim in Diœcesi, & Territorio Colonensi debeantur? Quo hanc enodet, censet dissertator, (a) ante omnia indagandum esse, quid olim, medioque ævo, quidve sequioribus temporibus circa decimas novales obtinuerit? Ac mox concludit, (b) medio ævo non tautum decimas ordinarias, sed & novales ad episcopos Germaniæ titulo fundationis, aut dotationis pertinuisse. Ast cur medium ævum invocat, cum tamen ex supradictis constet, decimas medio ævo longe antiquiores esse? Porro qui assertum suum probat? Primo adducit episcopatum Osnabrugensem, & Bremensem a CAROLO M., episcopatum Halberstadiensem, a LUDOVICO P., episcopatum Misnensem, & Merseburgensem ab OTTONE M., nec non episcopatum Paraviensem, Raceburgensem, Lubecensem, Swerinensem, Caminensem, & Hildesiensem decimis omnium circumquaque habitantium dotatos fuisse. An inde inferre licebit, medio ævo decimas ordinarias, & novales ad episcopos pertinuisse? Si decimæ episcopis a Regibus ac Principibus donatae sunt, certe episcopi ante donationem decimis nondum, & post donationem non jure proprio, sive episcopal iure donationis gaudebant. Profecto nemo aliter ratiocinabitur, nisi sanæ

A 2

ratio-

(a) Cap. II. §. 13.

(b) Cit. Cap. II. §. 14. & 15.

rationis expers sit. Similiter dein dissertator hallucinatur, dum quoad novales ex diplomatibus refert, DAGOBERTUM Regem Francorum AMANDO ad Basilicam S. Petri Wormatiæ civitatem Lau-demburg, terras cultas & incultas, & quidquid dici aut nominari potest; CAROLUM M. ecclœ S. Dyonisi, villam Haitibertingas cum omnibus appendiciis suis, terris, & sylvis &c. LUDOVICUM Pium ANSGARIO, primo Hammaburgensi Archiepiscopo, omnes paludes infra, sive juxta Albiam positas, cultas & incultas; LUDOVICUM, Francœ Orientalis Regem, monasterio, quod nova Corbeia nuncupatur, villam Huexeri cum omnibus finibus, vel terminis suis terrisque, silvis, aquis, aquarumque decursibus, ceu cunctis adjacentiis, nec non appendiciis suis; ac tandem HENRICUM II. sedi episcopali Bambergensi prædia, ecclesias, viros cum omnibus suis pertinentiis, sive adhaerentiis, videlicet utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis, viis, & inviis, exitibus, & redditibus, quæsitis, & inquirendis, silvis & sagenis, venationibus, pratibus, pascuis, campis, forestariis, cellariis, cenibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus donasse. Quid hie de novalibus, immo & de decimis memorabile? Annon differte de donationibus agitur? Itaque donatarii non decimis novalibus, sed omnibus, quas terræ ad culturam redactæ proferebant, frugibus fruebantur. Ambabus etiam demus manibus, novales medio ævo ad episcopos pertinuisse. Quid tum? Plura medio ævo obtinebant, quæ hodie non amplius obtinent. Sic teste Edicto CHLOTARII II. Regis (c) episcopo deceidente, in locum ipsius alius, qui a Metropolitano ordinari debebat cum provincialibus, a clero & populo eligebatur; & si persona condigna fuerit, per ordinationem principis ordinabatur, vel si de palatio eligebatur, per meritum personæ, & doctrinæ ordinabatur. An ita etiam hodie? Annon episcopus, ut fere unicuique innotescit, eligitur a solo capitulo. Sic testibus capitularibus Regum Francorum (d) unusquisque episcopus sibi subdiros bene docere, atque instruere habebat, ita ut in domo DEI semper invenirentur, qui canonice possint fieri electi. An ita etiam hodie? An vel viget Tridentinæ Synodi

(c) Cap. I. apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 481. Conferuntur Capitularia CAROLI M. & LUDOVICI III. lib. I. Cap. 78. & additio III. Cap. 2. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1306. Ed. 1763.

(d) Cap. XXVII, apud GEORGISCH cit. loc. pag. 593.

Synodi statutum (e) "ut singulæ Cathedrales Metropolitanæ, atque
 his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum & diæcessis, amplitu-
 dine, certum puerorum ipsius civitatis & diæcessis, vel ejus pro-
 vinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope
 ipsas Ecclesiæ, vel alio in loco convenienti, ab episcopo eligendo,
 alere ac religiose educare, Ecclesiasticis disciplinis instituere te-
 neantur. In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duo-
 decim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere &
 scribere competenter noverint, & quorum indoles, & voluntas
 spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.
 Pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum
 excludit, modo suo sumptu alantur & studium præ se ferant,
 Deo & Ecclesiæ inserviendi. Hos pueros Episcopus in tot classes,
 quot ei videantur, divisos, juxta eorum annum, ætatem ac in
 disciplina Ecclesiastica progressum; partim, cum ei opportunum
 videbitur, Ecclesiarum ministerio addicer, partim in collegio eru-
 diendos retinebit aliosque in locum eductorum sufficiet, ita ut
 hoc collegium DEI ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut
 vero in eadem disciplina Ecclesiastica commodius instituantur,
 Tonsura statim, atque habitu clericali semper urentur. Gramma-
 tices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium
 disciplinam discent: sacram scripturam, libros Ecclesiasticos, ho-
 milias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime
 quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum
 ac cæremoniarum formas edissent." Sic testibus Capitularibus Re-
 gum, Francorum (f) nec non CAROLI M. & LUDOVICI PII (g)
 per singulas civitates erant episcopi, haud tamen in una civitate
 duo. An ita etiam hodie? Noto notius est, dari non tantum plu-
 rimas Germaniæ civitates, sed & integras ditiones, seu provincias,
 quæ sede episcopali carent. Sic testibus Capitularibus CAROLI M.
 & LUDOVICI PII (h) nec non Regum Francorum (i) non licebat
 episcopo, principalem cathedralm suæ parochiæ negligere, & ali-
 quam

(e) Sess. XXIII. de Reform. Cap. 18.

(f) Cap. I. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 513.

(g) Lib. I. Cap. 129. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1319.

(h) Lib. I. Cap. 40. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1294.

(i) Cap. XXXIX. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 595.

quam ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare, aut in propriis rebus manere amplius, quam tres hebdomadas. An ita etiam hodie? Noto notius est, plures episcopos alibi sedem fixam habere, & principalem cathedralm per plures menses, immo & annos haud occupare. Sic testibus Capitularibus CAROLI M. & LUDOVICI PII. (k) unusquisque episcopus tenebatur singulis annis parochiam suam sollicitate circumire, & populum confirmare, & plebes docere, & investigare, & prohibere paganas observationes, divinasque, vel sortilegas, aut auguria, phylacteria, incantationes, vel omnes spurcias. An ita etiam hodie? Novimus quidem a Tridentina Synodo, propter latitudinem diœcesis quandam immutationem & limitationem esse inducitam. Verum an Concilium Tridentinum hocce in casu hodie adhuc obtinet? An Concilium Lateranense IV. viger? Id quod tamen illuminato hocce seculo eo magis expedire, cum nova illa, ac diabolica philosophia non tantum spurcias suas, ac lascivias gentilibus adhuc pejores ubique palam promere, verum etiam Evangelii veritatem corrumpere, sanctissima dogmata expungere, religionem Christianam, fidemque Catholicam subvertere, & atheismum, fatalismum, deismum, naturalismum, anthropomorphismum, materialismum, idealismum, & libertinismum substituere allaboret. Sic testibus Capitularibus Regum Francorum (l) nec non CAROLI M. & LUDOVICI PII (m) ipsi episcopi baptizabant, prædicabant, sive evangelizabant. An ita etiam hodie in Germania coiunctor, atque universaliter observatur. Sic juxta CAROLI M. leges (n) decimæ populi in quatuor partes dividebantur, ac quidem prima pars episcopis, secunda clericis, tertia pauperibus, & quarta in fabricam ipsius Ecclesiæ dabatur. An ita etiam hodie? An non potius cathedralicum (o) seu synodaticum, seu quarta pars epis-

(k) Lib. VII. Cap. 129. 147. § 465. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1638.
1646. § 1735.

(l) Cap. VII. & Cap. XIX. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 575. § 817.

(m) Lib. I. Cap. 94. & Lib. V. Cap. 220. apud GEORGISCH cit. loc.
pag. 1311. § 1457.

(n) Cap. XCIV. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1157. Conferatur GOL-
DAST Confit. Imp. Tom. III. Cap. 23. pag. 158. Edition. Francfurt.
MDCCXIII.

(o) De cathedralico videantur DUARENUS de Sacr. eccles. minist. Lib. VII.
Cap. 5. BARBOSA Jur. Eccles. Univ. Lib. III. Cap. 20. BENEDIC-
TUS XIV. de Synod. dicit Lib. V. Cap. 6. & R. P. WOLFGAN-
GUS SCHMITT Instit. Jur. Eccles. Lib. III. Tit. 41. §. 15.

~~~~~

7

episcopis ex omnibus decimis ecclesiarum parochialium sine ullo onere fabricae solvenda in Germaniam penetravit? Sic tandem episcopi medio ævo nec status Regni erant, nec domini territoriales. An etiam hodie hisce prærogativis, titulis, ac dignitatibus destituntur? Quis crediderit, quisve dixerit?

## ANTITHESIS XXVI.

Equidem ex antecedentibus jam tum satis liquet, decimas ordinarias, & novales pertinuisse ad Episcopos, non quia, ceu Differator (p) insinuat, suprema totius Christiani gregis cura, atque inspectio haud modicis laboribus sociata ipsis incumbebat, sed quia simul veri ac proprii parochi, seu parœci existebant. Confirmatio nis tamen gratia juvat argumentum prosequi, & nonnullos Capitularium addere textus. Sic Capitulare PIPINI Regis (q) refert: *Omnino decrevimus, ut unusquisque Episcopus in sua parochia sollicitudinem habeat, ut populus christianus paganisum non faciat.* Sic Capitularia Regum Francorum (r) referunt, *ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat, in sua parochia tam de clero, quam de regularibus vel secularibus ad corrigendum & emendandum secundum ordinem canonicum spiritualem, ut sic vivant qualiter Deo placere possint.* Sic Capitularia CAROLI M. & LUDOVICI PII (s) referunt: *ut unusquisque Episcopus habeat suæ parochiae potestatem, & regat juxta reverentiam singulis competentem, & prudentialiter gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate.* Dum itaque Episcopi medio ævo non tantum episcopali, sed simul & pastorali munere fungebantur, jure etiam optimo maximo decimæ illis debebantur. Quod si vero decimæ Episcopis non qua veris, propriisque parocis, sed qua supremis inspectoribus attribui voluissent, tum potius ad metropolitanum, quam ad Episcopos pertinuissent, quippe cum metropolitano supraena cura atque inspectio incumberet; Hic namque perhibente Capitulari PIPINI Principis (t) constitutus est, ut ad judicium ejus de omni necessitate ecclesiastica recurrent tam Episcopi, quam alius populus. Ut ordo monachorum vel ancillarum

Dei

(p) *Cit. Cap. II. §. 16.*

(q) *Cap. VI. apud GEORGISCH Corp. Jur. Germ. pag. 503.*

(r) *Cap. III. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 515.*

(s) *Lib. VII. Cap. 74. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1628.*

(t) *Cap. III. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 502.*

Dei secundum regulam sanctam stabilis permaneat, & de rebus ecclesiasticis subtractis monachis, vel ancillis Dei consolentur, usque dum illorum necessitati satisfaciant. Et si quid superaverit, census levetur. Et Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmittant. Et omnes clerici fornicationem non faciant, nec habitum laicorum portent, nec habeant canes, ut venerationes faciant, nec accipitres portent. Cum hocce Metropolitano suo provinciales Episcopi bis in anno propter caussas ecclesiae concilia celebrare habebant (u). Sine hujus concilio, vel literis Episcopus non audebat Regalem Dignitatem pro caussis suis clamare (x). Ad hunc suffraganei respicere debebant, & nihil novi audebant facere sine conscientia, & consilio sui metropolitani (y). Atque huic Episcopi, atque inferioris gradus clerici commissi erant (z). Hic itaque supremus existebat inspector.

## ANTITHESIS XXVII.

**Q**ui secundum promissa ad sequiora secula progredi habebat, ad priora retrogreditur, immo ad CONSTANTINI M. tempora usque recurrit, scriptitans (a) "Cum vero crescente fidelium multitudine coetus ecclesiasticos multiplicari oporteret; cum aspirante nunc blandiori rebus christianis sub CONSTANTINO M. fortuna, ac tranquilitate plura Seculo IV. aedificarentur templorum copi quidem in civitatibus primum majoribus, dein & ruri per ordinata in usum praesertim rusticorum a civitatibus longe distitorum oratoria singulos disposuere Presbyteros, singulisque temporibus suam gregis portionem, quam illi docerent, adsignarunt, atque haec prima fuere hodiernarum, uti vocamus, parochiarum incunabula. Sed omnes nihilominus oves manebant sub cura Episcopi, ceu Pastoris universalis divinitus constituti, qui licet Ecclesiae majori, cathedrali dictae, arctius asficeretur, non tamen inde negligebat reliquas, sed easdem visitabat saepius, populumque sua

(u) *Capitul. Regum Franc. Cap. XIII.* apud GEORGISCH cit. loc. pag. 556.

(x) *Leg. CAROLI M. Cap. CXLVI.* apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1170.

(y) *Capitul. Lib. I. Cap. 8.* apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1295.

(z) *Capitul. Lib. VII. Cap. 102.* apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1634.

(a) *Cit. §. 16.*

“ recreaturus præsentia, & verbo & exemplo ædificabat, cæterasque  
“ peragebat functiones episcopales.” Haud satis longe retrogressus  
est. Alioquin facile reperi licisset, priscis temporibus alias fuisse  
Ecclesiæ episcopales, sive urbicas, & iterum alias parochiales, seu  
minores, quæ ex singularibus congregacionibus constabant, & pa-  
rochiæ rurales (b) cluebant, eo quod christiana Religione ex civita-  
tibus in vicos & pagos notabili quodam modo diffusa ecclesiæ in pa-  
gis & vicis exstructæ, & presbyteri illis constituti essent. Episcopa-  
les ecclesiæ non certis quibusdam presbyteris separatim adsignatae,  
sed clericis in commune commissæ erant, ita, ut licet tempore JUS-  
TINIANI tres basilicæ Constantinopoli extiterint, nulla tamen pro-  
prios suos clericos habuerit, sed clerici tam majori, quam reliquis  
ecclesiis communes fuerint, prout ipse JUSTINIANUS (c) hisce  
testatur. “ Postea vero veneranda domus sanctæ, gloriosæque Vir-  
“ ginis & Deiparæ Mariæ, in vicinia sanctissimæ Majoris Ecclesiæ  
“ sita, a piæ memoriae Verina ædificata, & veneranda domus sancti  
“ Martyris Theodori a Sphoracio gloriosæ memorie consecrata est:  
“ veneranda quoque domus sanctæ Irenæ sanctissimæ majori Eccle-  
“ siæ juncta fuit: propterea numerum ad antiquam formam redi-  
“ gere impossibile est. Neque enim pauci illi, qui constituti sunt,  
“ tot Ecclesiis sufficerent, quoniam ne una quidem trium illarum  
“ domuum proprios habet clericos, sed tam sanctissimæ majori Ec-  
“ clesiæ, quam illis communes sunt, easque omnes ordine & quasi  
“ in orbem circumeuntes, ministeria in illis peragunt.” Parochiis  
contra ruralibus presbyteri sui maturius adfixi erant, ac peculiariter

B

ad-

(b) Sic sanctus EPIPHANIUS contra heres: Lib. II. Tom. II. p. m. 150. refert:  
Digressus autem hinc, venit in pagum quendam Cascharorum Diodoridem ap-  
pellatum, in quo Triphon quidam mansuetissimus illo tempore ejus presbyter  
erat. Sic concilium Chalcedonense Can. XVII. apud PHITOUEUM  
Cod. Canon. pag. 102. & apud BINIUM Cone. Tom. II. Part. I. pag.  
328. statuit: Singularum Ecclesiæ rusticæ parochias, vel possessiones, ma-  
nere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maxime si per  
tricennium eas absque vi obtinentes, sub dispensatione reixerunt. Similiter &  
concilium Vasenæ I. Can. II. apud LABBEUM Concil. Tom. III. pag.  
1680. & BINIUM Concil. Tom. II. Part. I. pag. 641. definitivit: Hoc  
etiam pro ædificatione omnium Ecclesiæ, & pro utilitate totius populi no-  
bis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis ver-  
bum faciendi daremus presbyteris potestatem.

(c) NOVELL. III. Cap. I. vertente HOMBERG ZU VACH.

200

adsignati, qui teste concilio Neocæsariensi (d) in Ecclesia civitatis episcopo præsente, vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigerere. Hinc etiam ecclesiis parochialibus sive parochiis ruralibus certi reditus constitui coeperunt. Id tamen neque in omnibus locis, neque eodem tempore, neque eodem modo factum est. Heic namque, ut & olim referente JUSTINIANO (e) consuevit, quidam ecclesiam ædificabat, vel etiam alio modo in ea ministeria obeuntibus annonas suppeditabat, & clericos quosdam in illa constituebat. Heic exstructum oratorium in ecclesiam parochiale erigebatur. Heic nova ecclesia parochialis fundatur, & clericis ministrantibus habitatio cum prædiorum congrua portione ad alendum distincta adsignabatur; Heic denique novæ ville seu pagi una cum novis ecclesiis condebantur, de queis Capitulare HLBOWICI Imperatoris de anno DCCCXVI. (f) memorat: sanctum est de villis novis & Ecclesiis in eis noviter constructis, ut decima de illis villis ad easdem Ecclesiis conferantur. Insuper adhuc alias, & quidem haud leviores offendimus causas. Tum nempe historia, rerumque experientia docet, episcopatus Germanie sensim in eam formam mutatos esse, ut oporteret non tantum in vicis, & pagis, sed etiam in ipsis usque adeo civitatibus creare novas parœcias, & constituere clericos, qui prædicationis munus obirent, sacramenta administrarent, solemnum baptismum conferrent, pœnitentiam, atque absolutionem dispensarent, ac panem Eucharisticum distribuerent. Tum etiam Seculo XIII. & XIV. Jus Canonicum, seu potius Decretales GREGORII IX. in Germaniam penetrarunt, atque illico in tantam ascenderunt auctoritatem, ut jure Justinianæ priores, digniores, aptiores, clariores, atque aequiores Germanis visæ, (g) obstetricantibus Episcopis a RUDOLPHO I. confirmatae (h) a MAXIMILIANO I. in dicaste-

(d) *Can. XIII.* apud PITHOEUM *Cod. Can.* pag. 57. & apud BINIUM *Concil. Tom. I. Part. II.* pag. 236.

(e) NOVELL. LVI. *Cap. 2.*

(f) *Cap. XII.* apud BALUZIUM *Capitul. Tom. I.* pag. 384. & apud GEORGISCH Corp. *Jur. German.* pag. 816.

(g) HEINNECCIUS *Histor. Jur. Lib. II. §. 124.* pag. 1066. & ZALWEIN *Princip. Jur. Eccl. Tom. II. Quæst. II. Cap. 3. §. 6.*

(h) ZALLWEIN cit. *Tom. II. Quæst. IV. Cap. I. §. 2.* qui tamen offendit, ni indigitare maluerit, FRIDERICUM II. de Decreto GRATIANI locutum esse. Observante enim HEINECCIO cit. *Lib. II. §. 69.* pag. 917. FRI

—

dicasteria etiam civilia inventre <sup>(i)</sup> a pluribus Electoribus, ac Ducibus  
Saxoniæ FRIDERICO, JOANNE, JOANNE FRIDERICO, MAU-  
RITIO, AUGUSTO, CHRISTIANO, & FRIDERICO WILHEL-  
MO, scriptis legibus conservatæ <sup>(k)</sup> harumque usus, qui ante fuit,  
usque adeo inter protestantes rerentus sit, nisi vel earum decisiones  
cum principiis Religionis Protestantium pugnarent, vel aliquis pro-  
bare posset, jus civile in hac, quam ageret, causa speciatim præ ju-  
re canonico receptrum esse. <sup>(l)</sup> An tum adhuc obtinebant, ac vige-  
bant Capitularia Regum Francorum, leges Salicæ, ac leges Ripua-  
riorum, Bajuvariorum, Burgundiorum, Longobardorum, Wisigorho-  
rum, atque Ostgothorum, præcipue cum Reges Francorum dudum  
extincti, atque Imperium Romano-Germanicum longe aliam adeptum  
esset formam. An legitæ, & decretistæ Seculi decimi tertii, ac sequen-  
tium, videlicet IRNERIUS, ACCURSIUS, JOANNES COLUMBI-  
NUS, JACOBUS ARDIZONUS, DINUS, OLDRADUS, BUTRIGA-  
RIUS, CINUS, MATARELLUS, BARTOLUS, BALDUS, PAULLUS  
CASTRENSIS, SOCINUS, MAYNUS, SALICETUS, ALVAROT-  
TUS, CÆPILLA, CURTIUS, CUMANUS, BERTACGINUS, CU-  
JACIUS, ALCIATUS, BUDÆUS, FERRETUS, GOVEANUS, AN-  
TONIUS AUGUSTINUS, BARO, DUARENUS, DONELLUS,  
BALDUINUS, CONTIUS, BOERIUS RUSSARDUS, RAGUELLUS,  
HORTENSIUS, MERCERII, MERILLIUS, FORCATULUS, HOT-  
TOMANNUS, ROBERTUS, GORDONIUS, BRISSONIUS, BEL-  
LONUS, CORASIUS, CASTANUS, DURANTIUS, MARANUS,  
CABOTIUS, JANUS & COSTA, CIRONIUS, ALTESERRA, FOR-  
NERII, CONNANUS, MORNACIUS, PITHOEI, FLORENS,  
DARTIS, DOVIATIUS, MENAGIUS, LECTIUS, FABRI, ZUCHE-  
MUS, RÆWARDUS, MATTHÆI, LYCLAMA, BRIXIENSIS, TUR-  
RECREMATA, INNOCENTIUS, HOSTIENSIS, ANDREAS CAL-  
DERINUS, MONACHUS, LAPPUS, ANCHARANUS, ZARABEL-

B 2

LA

FRIDERICUS sub voce gaſſlichem Recht, vix aliud, quam Decretum Gra-  
tiani intelligere potuit, quod Germanis jam diu per Bononienses Profes-  
sores innotuerat, cum collectio Gregoriana ad Bononienses hoc demum  
anno 1235, & anno 1234, ad Parisienses missa Germaniæ nondum ita cog-  
nita fuille videatur, ut inter constantes judiciorum regulas recipi potuerit.

- (i) AMORT Element. Jur. Canon. Prolegom. §. 9.  
(k) HEINECCIUS cit. Lib. II. §. 124. pag. 1068.  
(l) HEINECCIUS cit. pag. 1068.

LA, GEMINIANUS, PANORMITANUS, FELINUS, DECIUS,  
 RIPA, aliique innumeri obsoleris Capitularibus utebantur? An lex  
 seu constitutio Imperialis reperienda est, quæ vel ullam antiquatarum  
 legum mentionem faciat? Annon potius FRIDERICUS I. teste RA-  
 DEVICO (m) Principes diserte monuit: *Nostis autem, quod jura civi-  
 lia nostris beneficiis in summum provecta, firmata, ac moribus uteustum ap-  
 probata satis habeant roboris.* Annon renunciatio LEOPOLDI Ducis  
 Austriae de anno MCCCXXIV. sonat (n) Renunciantes sponte & expre-  
 se, in his omnibus & singulis, nostro & heredum nostrorum nomine, ex-  
 ceptioni doli mali, & in factum actioni, beneficio restitutionis, & consue-  
 tudini cuilibet in omnibus literis apostolicis, & aliis ab Imperatoribus seu  
 Regibus Romanorum, vel ab aliis quibuscumque nobis concessis, vel conceden-  
 dis, omniq[ue] JURIS, tam CANONICI quam CIVILIS auxilio, quod &  
 contra promissa vel eorum aliquod possent nobis aut nostris heredibus, quo-  
 cunque modo, vel tempore, in aliquo suffragari. Annon renunciatio RU-  
 PERTI Comitis Palatini de anno MCCCLIII pariter sonat (o) Re-  
 nunciantes omni canonum & legum auxilio, legibus, constitutionibus, sancti-  
 onibus, DECRETIS & DECRETALIBUS, Imperatorum vel Apostoli-  
 corum consuetudinibus, Ritibus & observantiis quarumlibet provinciarum, sive  
 terrarum, quibus presenti contractui, in toto, vel in aliqua sui parte potest alii-  
 quo modo derogari. Annon renunciatio CAROLI IV. de anno MCCCLX  
 iterum sonat (p). Renunciantes certa scientia, & scriptis. Nos CAROLUS Im-  
 perator, qui supra pro nobis, & successoribus nostris Regibus & Imperatoribus  
 Romanorum, dictus vero noster frater Marchio Moraviae administrator, Procu-  
 rator, sicut præmittitur, pro nobis, heredibus, & successoribus nostris Regibus  
 Bohemicis, in præmissis eorum singulis, seu ab illis dependentibus, quovis mo-  
 do secundum omnem modum, & formam, sicut superius fuit expressum, &  
 invenitur, omni actioni, juri, questioni, impetitioni, exceptioni, doli ma-  
 li, seu in factum, auxilio restitutionis in integrum, & cuilibet actioni JU-  
 RIS CANONICI & CIVILIS beneficio contravenire possemus, jure vel  
 facto, in judicio, vel extra judicium, vel quibus hæc omnia, vel eorum  
 aliquod

(m) *De Gesl. Friderici I. Lib. II. Cap. 3.* apud URSTISIUM Germania His-  
 toricor. Tom. I. pag. 507.

(n) Apud HARPPRECHT de HARPPRECHTSTEIN Speculi Seuvici, &  
 prefertim *Juris Feudalis Alamanni in foris Vicariatus Suevo-Franconico-  
 Palatini non Ujus Part. II.* pag. 121.

(o) Apud HARPPRECHT cit. Part. II. pag. 122.

(p) Apud HARPPRECHT cit. Part. II. pag. 127.

*aliquid violari, rescindi, & infirmari possent, quibusunque temporibus, aut  
infringi, etiam si de singulis hujusmodi Canonicis, legibus, juribus, obser-  
vantius, usibus, & statutis, jure vel consuetudine, deberet in praesentibus  
fieri mentio specialis. Quis igitur hodie ex prioribus per posteriores  
ante plura secula abrogatis legibus decisionem causae ecclesiasticae  
cruere, atque obtrudere sustinebit? Sane nemo, nisi non quodam  
assentationis, aut novitatis studio, sed solo veritatis amore, jurisque  
dictamine impulsus dissertator!*

## ANTITHESIS XXVIII.

**I**terum dissertator retrogreditur, atque addit, (q) «Tales jam Se-  
“culo VI. & sequentibus obveniebant temporum rerumque circum-  
“stantiae, quæ Episcopum solum ea facere omnia, quæ ad spiri-  
“tualem totius populi curam ac regimen requirebantur, haud per-  
“mittebant. Impediebant non raro præsulis accessum, prædicatio-  
“nemque intuta ob irruptiones barbarorum loca: amplitudo Diœ-  
“cesium præsertim in Germania infinitis Episcopos implicabat la-  
“boribus, negotiis quoque publicis, ad quæ vel ratione territo-  
“riorum, vel ob rerum bene gerendarum peritiam, quæ decretat  
“in laicis, vocati sunt, destinebantur, a propriis haud raro abesse  
“coacti Ecclesis ». Verum qui probat? Antestatur plures, & pri-  
mo quidem Abbatem FLEURY (r) narrantem: Charlemagne, par  
exemple, étoit tantôt deça, tantôt de-là le Rhin; tantôt en Italie, tantôt  
en Saxe: aujourd’hui à Rome, dans trois mois à Aix-la-Chapelle. Il me-  
noit toujours avec lui grand nombre d’Evêques suivis de leurs vassaux &  
de leurs domestiques. Quelle perte de temps! Quelle distraction! Quand  
trouvoient-ils du loisir pour visiter leurs diocèses, pour prêcher, pour étudier?  
Ubi etiam concessero, plures, quam opus erat, aut oportebat, epis-  
copos in comitatu Regis fuisse, quid inde? Annon Rex ipse abu-  
sum opportune sustulit, atque edixit (s) «Apostolicæ sedis hortatu-  
“omniumque fidelium nostrorum, & maxime Episcoporum, ac re-  
“liquorum sacerdotum consultu, servis Dei per omnia omnibus  
“armatu-

(q) Cit. Cap. II. §. 17.

(r) Non, ut a dissertatore minus fideliter allegatur Tom. III. sed Tom.  
XIII. Discours sur l' Histoire Ecclesiast. §. 9.

(s) Apud HARTZHEIM Cœcili. German. Tom. I. pag. 374.

“ armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem  
 “ pergere, omnino prohibemus; nisi illi tantummodo, qui propter  
 “ Divinum Ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, &  
 “ sanctorum Patrocinia porranda, ad hoc electi sunt, id est, unum,  
 “ vel duos Episcopos cum Capellanis, Presbyteris, Princeps secum  
 “ habeat, & unusquisque Praefectus unum Presbyterum, qui homi-  
 “ nibus peccata confitentibus judicare, & indicare penitentiam pos-  
 “ sit .”

Secundo antestatur SIDONIUM APOLLINAREM (*t*) epis-  
 copis sui temporis scribentem: *Per vos legationes meant. Vobis pri-*  
*mum pax, quanquam principe absente non solum tractata reservatur, verum*  
*etiam tractanda committitur.* Ergone omnium, ac singulorum epis-  
 coporum eae in negotiis publicis tum temporis partes erant? An-  
 non episcopi LEONTIUS, FAUSTUS, & GRÆCUS pacis ineun-  
 dæ inter NEPOTEM, Imperatorem, & EURICUM, sive EVARI-  
 GEM Wisigothorum Regem constituti erant sequestri, atque arbi-  
 tri, qui caussam dirimerent, & regni utriusque pacta, conditiones-  
 que conderent? Hos dum SIDONIUS (*u*) Avernorum episcopus  
 indignans objurgat: “Veniabilis sit, quæsumus, apud aures vestrar-  
 “ veritatis asperitas, cuius convitii invidiam dolor eripit. Parum in  
 “ commune consulitis: & cum in concilium convenitis, non tam cu-  
 “ ræ publicis mederi periculis, quam privatis studere fortunis, quod  
 “ utique saepe diuque facientes, jam non primi, comprovincialium  
 “ cœpistis esse, sed ultimi. At quoisque istæ poterunt durare præ-  
 “ stigiæ? non enim diutius ipsi majores nostri hoc nomine gloria-  
 “ buntur, qui minores incipiunt non habere. Quapropter vel con-  
 “ filio, quo potestis, statum concordiae tam turpis incidite.” An in-  
 de concludendum, omnes istius temporis episcopos ejusdem farine  
 fuisse.

Tertio antestatur Synodus Aquisgranensem, sed minus fi-  
 deliter, quippe cum illa de episcopis nil memoret, sed tantum re-  
 ferat (*x*) “Recordatus piissimus Carolus Imperator misericordiae suæ  
 “ de

(*t*) Non ut minus fideliter allegatum *Lib. IV. Epist. 6. sed Lib. VII. Epist.*  
 7. *Parisiis MDXCVIII. curante SAVARONE. Conferatur paruer*  
*Epist. 6.*

(*u*) *Cit. Epist. 7.*

(*x*) *Apud HARTZHEIM cit. Tom. I. pag. 363.*

“ de pauperibus, qui in universo ejus imperio erant, & justitiæ  
 “ pleniter habere non poterant: noluit de infra Palatio pauperibus  
 “ Vassos transmittere ad justicias faciendum propter munera; sed  
 “ elegit in Regno suo Archi-Episcopos & Abbates cum Ducibus &  
 “ Comitibus, qui opus non habebant super innocentes munera ac-  
 “ cipere: & ipsos misit per universum Regnum, ut Ecclesiis, vi-  
 “ duis, orphanis, & pauperibus, & cuncto populo justitiam face-  
 “ rent ”.

Quarto antestatur OTTONEM FRISINGENSEM, quod  
 episcopi sub poena felonie militiam non tantum in propria persona  
 sequi, sed etiam haud raro tanquam bellidores exercitibus imperare  
 debuerint. Profecto aut dissipator coecutir, aut ego. Quæ nam-  
 que lego, OTTONIS FRISINGENSIS Episcopi (y) verba sunt  
 “ Est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonico-  
 rum, ut quotienscumque ad sumendam Romani Imperii coronam,  
 militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo man-  
 fionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur,  
 univerforumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias  
 proxima nocte Principi faciendas, per curiae præconem exposci-  
 tur: quod sectantes, qui in ejus Comitatu fuerunt, singuli singu-  
 los beneficiarios suos per præcones exposcunt. At sequenti die  
 quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuo ad  
 præsentiam Regis, aliorumque Principum, vel virorum illustrium  
 evocatur: sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona volun-  
 tate Dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condem-  
 nantur. Hunc morem Principe secuto, non solum laicorum feu-  
 da, sed & quorundam Episcoporum, id est, Harruici Bremensis,  
 & Ulrici Halberstatensis regalia personis tantum, quia nec perso-  
 nis, sed Ecclesiis perpetualiter a Principibus tradita sunt, abjudi-  
 catu fuere ”. Quis lector ergo referet, episcopos in propria per-  
 sona, & quidem sub poena felonie Regem ad pugnam comitari, &  
 non raro tanquam Bellidores mandare debuisse?

Quinto sed minus feliciter antestatur sanctum GREGORIUM  
 TURONENSEM Episcopum, qui non tantum perhibet (z): Fue-  
 runtque

(y) *De Rebus gestis Frider. Lib. II. Cap. 11. apud URSTISIUM Germaniarum  
 Historior. Tom. I. pag. 452.*

(z) *Histor. Francor. Lib. IV. non, ut minus fideliter allegatum Cap. 37. sed  
 Cap. 43.*

runtque in hoc prælio Salomius & Sagittarius fratres, atque episcopi, qui non cruce caelesti muniti, sed galea aut lorica sæculari armati, multos manibus propriis, quod pejus est, interfecisse referuntur, sed & mox subiungit (a) contra Salonium, sagittariumque episcopos tumultus excoritur. Hi enim a sancto Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, diaconatus officium sunt sortiti: hujusque tempore Salomius Ebredunensis urbis, sagittariusque Vapicensis ecclesiæ sacerdotes statuuntur. Sed adsumpto episcopatu, in proprium relati arbitrium, cœperunt in pervasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diversisque in sceleribus, insano furore grassari. An hi erant infiniti labores, ac publica negotia, queis Episcopi illius temporis ab ecclesiis suis, curaque pastorali fuere avocati? Qui ita finire ausit, niger, immo nigerrimus est.

Sexto antestatur OTHLONUM (b) adducentem: In illis namque temporibus Saxones devastabant Turingiam regionem. Quamobrem populi ejusdem regionis confugientes ad supradictum Principem Karlomanum, quærebant ab eo auxilium. Qui mox pro eorum creptione exercitum misit, in quo simul Geroldus Mogontiacensis tunc Episcopus, Pater scilicet præfati Gewiliebis jussus transiit. Cumque congressio facta fuisse bellantium, & invicem semet ferientium, Geroldus Episcopus imperfectus ibi inter alios occubuit. Ast an ut miles arma gerens, ac pugnans? an ut episcopus, munus suum obiens, singulari quodam fato occupubuit? Posteriori mihi eo verisimilius videtur, cum paulo ante a KARLOMANNO in synodo Liptinensi teste eodem OTHLONO (c) declaratum esset, Servos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum vel hostem pergere prohibuimus omnino; nisi illos tantum, qui propter divinum mysterium, missarum scilicet solennia adimplenda, & sanctorum patrocinia, ad hoc electi sunt, id est, unum vel duos Episcopos cum Capellani, Presbyteris princeps secum habeat, & unusquisque Praefectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare penitentiam possit.

Sep-

(a) Cit. Loc. Lib. V. Cap. 21.

(b) *De vita S. Bonifacii Lib. I.* non ut minus fideliter allegatum Cap. 4<sup>a</sup>, sed Cap. 37. apud CANISIUM Theaur. Monumentor. Tom. III. Part. I. pag. 356.

(c) Cit. Lib. I. Cap. 34. apud CANISIUM cit. Part. I. pag. 353.

—

Septimo antestatur ALBERTUM STADENSEM Abbatem  
(d) memorantem: Anno Domini MCLXII. Christianus Moguntinus Ar-  
chiepiscopus Imperialis Aulæ Cancellarius, & sedis Apostolicæ legatus, cum  
Brabantinis per Lombardiam & Thusciam omnia depopulans Bononienses  
invasisit, & in equo residens, inductus thorace, & desuper tunica hyacin-  
tbina, babens in capite galeam deauratam, & in manibus clavam trino-  
dem, ipse in eodem prælio dicitur stravisse novem homines propria manu.  
Ait num hæc diœceseos amplitudo, ut Archiepiscopus per Lombar-  
diam, & Thusciam omnia depopulans Bononienses invaderet? Num  
hi infiniti labores, ut thorace, & desuper tunica hyacinthina indue-  
retur, equo insideret, & galeam deauratam in capite, & clavam  
trinodem in manibus haberet? An hæc publica, ad quæ vel ratione  
territorii, vel ob rerum bene gerendarum peritiam episcopus voca-  
batur, negoria, ut sanguinarius horrida misceret prælia? Num hæ  
episcopalis officii partes, ut novem homines propria manu sterne-  
ret? Annon potius Apostolus (e) docet: Oportet ergo episcopum irre-  
prehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pu-  
dicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed mo-  
destum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum.  
Annon divus HIERONYMUS (f) docet: Quomodo igitur alterum re-  
prehendet, cum ipse, qui accepit potestatem, ut doceat, sit reprehensibilis?  
Quia vita Episcopi forma debet esse clericorum. Ex Episcopo gradus cœ-  
teri clericorum condiscunt, quomodo debeant vivere in hac vita mortali. Se  
ipso imitabiles debent proponere Sacerdotes, ut alii juniores gradus humiles  
consecuti, vita & testimonio Sacerdotum possint exurgeve. Annon divus  
BERNARDUS (g) docet: Ut tam episcopi, quam clerici, neque in su-  
perfuitate, seu in honesta varietate colorum, aut fissura vestium, neque in  
tonsurâ intuentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant  
aspectum, sed potius ita in suis actibus errata condemnent, & amorem in-  
nocentie conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum.  
Quod si moniti ab Episcopis suis intra quadraginta dies non obtemperaverint,  
ecclesiasticis beneficiis corundem Pontificum autoritate priventur. Episcopi vero,  
si præfixam pænam irrogare neglexerint, quia inferiorum culpæ ad nullos  
magis

## C

(d) In Chronic. apud SCHILTERUM Script. Rer. Germanicar. pag. 291.

(e) I. ad Timoth. 3. v. 2. & seqq.

(f) Ad Oceanum de vita Clericor. sive Oper. omn. Tom. IX. pag. 217.

(g) De Considerat. Lib. III, C. 5.

magis referendæ sunt, quam ad desideriæ, negligentesque rectores, tamdiu ab officio pontificali abstineant, donec pœnam a nobis constitutam clericis fibi subjectis imponant. Annon Agathense Concilium (b) docet: Non licet episcopo manibus suis aliquem cædere. Hoc enim alienum a sacerdote esse debet. Haud itaque exabusibus desumamus usum, ex factis normam, arque ex prævaricatione legem.

Octavo antestatur VADIANUM (i) qui tamen mores, dumque agendi minime approbat, quin potius condemnat, ac de- restatur notans. "Constat autem primos ex Germanis Episcopis "haud aliter belligerasse, quam quod cum Regibus suis & Impera- "toribus adversum infideles, utpote Saracenos vel Hunnos, nec ar- "mati ipsi, nec armatis Copiis comitati, profecti sunt, sed memo- "res etiamdum professionis suæ, religionis magis, quam armorum "studium tueri, piisque quam ultiros consiliis adesse Principibus "magis satagebant". Hinc etiam paulo post excandescens exclama- mat. (k) "O miseram victoriam, quam Episcopi, hoc est Christi "ministri & Apostolorum successores, non sine ultiione & sanguine "reportant. Cito quidem se se & factionum & rebellionis socios "fecerunt Episcopi nostri, Pontificum artibus saepe numero miris "modis involuti, nonnunquam interfecti, & cum levis pœna esset, "suis sedibus depulsi, inque exilium relegari".

Ac tandem antestatur CL: M: IGN: SCHMIDT (l) qui re- fricat, Archiepiscopum quandam Moguntinum, videlicet ut paulo post (m) nominat, CHRISTIANUM II. hominem teste TRITHE- MIO (n) in omni genere doctrinæ multum eruditum ab INNO- CENTIO IV. depositum fuisse, eo quod in favorem WILHELMI Hollandici, cui addictus erat Pontifex, contra FRIDERICUM II. arma suscipere nollet. Mirum, cur dissertator maluerit antestari hi- storicum

(b) Distinet. LXXXVI. Can. 25.

(i) De Collegiis &c. Lib. II. apud GOLDASTUM Alamann. Rer. Script. Tom. III. pag. 80. curante SENCKENBERG.

(k) Ibid. pag. 81.

(l) Geschichte der Deutschen Theil I. S. 383.

(m) Geschichte der Deutschen Theil III. S. 62.

(n) In Chron. Hirsaug. ad ann. MCLXVII. Tom. I. pag. 459.

\*\*\*

istoricum neophytum, quam CONRADUM Episcopum, (o) qui totam rei seriem ita describit. " Omnia hæc acciderunt uno anno,  
" scilicet, quod Dominus Colonensis est postularus, quod factus est  
" legatus, quod Dominus Christianus factus est Episcopus & con-  
" secratus, quod pallium est assequutus. Omnes religiosi, & qui  
" Deum præ oculis habere credebantur, super hujus hominis pro-  
" motione gaudebant, sperantes pacem rebus dari, maxime quia  
" idem bellicis rebus non fuerat assuetus: etiam qui negotio fue-  
" rant inimici, congratulantur ei. Sed non stetit din in Episcopatu:  
" accusatur enim apud Papam, quod omnino inutilis esset Ecclesiæ,  
" & quod evocatus ad expeditiones Regis invitus veniret. Hoc au-  
" tem verum erat, eo quod fierent incendia, sectiones vinearum,  
" devastations segerum. Dicebat etenim, nequaquam deceret alia  
" sacerdotem. Sed quidquid deberet per gladium spiritus, quod  
" est verbum Dei, omnimode se promptum asserebat, & voluntaria-  
" rum servitorem. Quumque ejus prædecessorum sequi vestigia  
" moneretur, respondit: scriptum est, mitte gladium in vaginam. Ob  
" hoc in odium Regis, & multorum incidit laicorum: Qui omnes,  
" eum accusantes apud Papam, obtinuerunt eum ab Episcopatu:  
" omni submoveri. Cessit ergo anno Domini MCCLI., Forte IN-  
NOCENTIUS IV. longe fortioribus impulsus, ac coactus erat ra-  
tionibus, quam CLEMENS XIV. qui ex prætextatis, ac supposititiis,  
saltim, quas patefecit, ratiunculis societatem JESU, suppressit (p) æque

C 2

ac

---

(o) In Chron. Mogunt. apud URSTISIUM Germaniae Historicor. Tom. I. pag. 575. & apud REUBERUM Veter. Scriptor. pag. 771, §. 9. curante JOANNIS.

(p) Dominus DE MURR Briefe eines Protestanten über die Außhebung des Jesuiter Ordens. Stück II. DEUX LETTRES, la premiere de Monseigneur CHRISTOPHE DE BEAUMONT DU RÉPAIRE, Archevêque de Paris en reponse au bref particulier addressé à lui par sa Sainteté CLEMENT XIV. La seconde de Monseigneur JEAN JOSEPH DE SAINT-JEAN DE JAMILAC, Archevêque d'Arles à ses Evêques suffragans sur le Bref de sa Sainteté CLEMENT XIV. Amsterdam MDCCCLXXV. JUSTI CATHOLICI Meditatio V. de pontificia potestate extinguendi, ac supremendi ordines regulares Bononiae MDCCCLXXV. SENSA Romanorum Pontificum Amstelodami MDCCCLXXVI. LETTRES à Monsieur CARRACCIOLI Paris MDCCCLXXVI. LETTRES d'un Anglais

ac CLEMENS V. ut ipse fassus, (q) Ordinem Militiae Templi Hierosolomitani, quem de jure non posset, per viam provisionis, sive ordinationis Apostolicae, feliciter sustulit. Ast haec per transennam.

## ANTITHESIS XXIX.

**Q**uid justius, quidve convenientius, quam ut, si episcopi vel a propria civitate digredi habent, vel propter occupationes multiplices, aut invaliditudines corporales, aut occasiones alias, ipsimet verbum DEI maxime per amplas ac diffusas dioceses ministrare haud sufficiunt, secundum canones (r) tam in cathedralibus, quam in aliis conventionalibus ecclesiis viri ordinentur idonei, quos episcopi possint habere coadjutores, & cooperatores non solum in praedicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & paenitentiis injungendis, ac caeteris, quae ad animarum salutem pertinent?. Quid justius, quidve aequius, quam ut hi viri idonei ab episcopis alantur, praeципue dum illis temporibus episcopi omnia in sua potestate, adeoque reliqui clerici aliunde non habebant, unde viverent? Verum quid sibi haec omnia? Num episcopi ideo desinebant esse veri, ac proprii paroeci? Num adjutoribus ideo decimae ordinariæ, & novales assignandæ veniebant? Quis vel ita somniaverit? Novimus plures paroecos tam in civitatibus, quam in vicis & pagis, quorum paroeciae tam amplæ sunt, ut ipsimet omnia peragere nequeant, sed vel stato, vel omni tempore uno, alterove adjutore sive clerico, sive monacho indigeant. Annon tum adjutorem simul alere habent? Quis dubitaverit? Num ideo autem parochi esse desinunt? Num ideo decimæ adjutori relinquendæ veniunt? Quis ita unquam fabulatus fuerit? Ast si in villis novis novæ constituantur ecclesiæ, cui tunc debentur decimæ? Jam dudum Synodus Wormatiensis (s) decrevit,

---

*Anglois sur la vie de Clement XIV. Paris MDCCCLXXVI. SUI E des Lettres d'un Anglois Paris MDCCCLXXVII. & LE OUI, ET LE NON. Paris MDCCCLXXVII.*

(q) ESPEN in *Comment. in Canones, & Decreta s̄ur. veter.* pag. 535. Lovaniæ MDCCCLXV. & JUSTUS CATHOLICUS cit. *Meditat. V. §. I.*

(r) HARTZHEIM *Concil. German.* Tom. II. pag. 444. Cap. 17. REGINO de ecclesiast. disciplin. Lib. I. Cap. 17. Curante BALUZIO. Et Cap. 15. X. *De officio judicis ordinari.*

(s) *Apud HARTZHEIM cit. Tom. II. pag. 317. Cap. 52. Conferatur Antithesis XXVII.*

crevit, ut decimæ de illis villis ad easdem ecclesiæ conferantur. Cur hæ decimæ non episcopis, sed rectoribus novarum ecclesiæ addictæ? Nonne, uti ante (t) jam tum observavimus, illis ecclesiæ presbyteri sui, ceu veri, ac proprii parœci adfixi, ideoque certi redditus, ac decimæ iis constitutæ sunt?

### ANTITHESIS XXX.

Interim dissertator (u) pergit, & narrat, decimas antiquitus baptis-  
malibus ecclesiæ adsignatas fuisse. Quis de hoc unquam dubita-  
vit? Verum baptismales ecclesiæ quæ? Audiamus LEONEM IV. (x)  
edicentem: *De decimis justo ordine, non tantum nobis, sed etiam Ma-  
joribus nostris visum est, plebibus tantum, ubi sacrosancta Baptismata dan-  
tur, debere dari.* Audiamus PASCHALEM (y) BALDRICO Episco-  
po de LEONE IV. scribentem: *Idem etiam Leo Episcopis Britanniæ  
scribens illis tantum ecclesiæ, quæ plebes vocantur, debet decimas indicat,  
ubi sacrosancta dantur baptismata.* Audiamus & BURCARDUM (z)  
ex quodam Concilio Aquisgranensi referentem „. Plures baptismales  
Ecclesiæ in una terminatione esse non possunt, sed una tantuminodo cum  
subditis Capellis, hoc nomen erat, quo appellabantur Ecclesiæ, in quibus  
nulli Baptismales fontes, Capellæ autem Oratoria dicebantur, nec licebat in  
illis Baptisterium construere. Hinc quidem cum BALUZIO (a) certam  
licet confidere regulam, baptismales fuisse ecclesiæ, in quibus pu-  
blicum baptisterium erat. At quæ jam Regulæ applicatio? An soli  
episcopi baptismales tenébant, ac regebant ecclesiæ? Credat clama-  
tor apella. Non ego. Namque ex STRABONE (b) didici: *Cente-  
narii vel Vicarii, qui per pagos constituti sunt, Presbyteris plebium, qui  
baptismales Ecclesiæ tenent, & minoribus Presbyteris præfunt, conferri  
queunt.*

(t) *Cit. Antithes. XXVII.*

(u) §. 18.

(x) CAUSS. XVI. Quæst. I. Can. 45.

(y) Apud BERARDUM de Gratian. Canon. Part. II. Tom. II. Cap. 76.  
pag. 277.

(z) Lib. III. Cap. 22.

(a) *Capitular. Tom. II. pag. 713. Conferatur GONZALEZ TELLEZ in  
Not. ad Cap. 8. X. de his, quæ sunt a prælat. lit. C.*

(b) Apud JANUM A COSTA in summar. ad Lib. I. Tit. 24. X. de offi-  
cio Archipresbi.

queunt. Simul ex THOMASINO (c) didici, maxime baptismalibus ecclesiis, quæ aliarum velut matres erant, archipresbyteros præfetos fuisse, qui curam, atque strenuitatem suam in plebes, parochos que sui decanatus explicabant. Immo & ex Synodo Ravennæ sub JOANNE IX. celebrata (d) didici, ut singulæ plebes (id est, ecclesiae baptismales, quas teste Synodo Pontigonensi (e) plebes appellant, Archipresbyterum (f) babeant. Propter assiduam erga populum Dei curam, singulis pleibus archipresbyteros esse volumus, qui non solum imperiti vulgi solitudinem gerant, verum etiam eorum Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiant, & qua uniusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuntient: nec obtemperat Episcopus non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: quia et si valde idoneus est, decet tamen, ut partiatur onera sua: & sicut ipsi matrici præfet, ita Archipresbyteri præfint pleibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo. Sponte inde sua fluit, quemlibet Archipresbyterum decimas secundum canones, & conciliorum decreta baptismali ecclesiae, quam regebat, debitas, atque episcopum non plures, nec alias, quam decimas ecclesiae, cui præerat, debitas perceperisse. Neque etiam aliud evincunt Capitularia, & Canones a dissertatore perperam allegari. Etenim dum Capitulare CAROLI M. (g) statuit: *De decimis, ubi antiquitus fuerunt Ecclesiae baptismales, & devotio facta fuit, juxta quod Episcopus ipsius Parochie ordinaverit, omnimodis siant donatae.* Num inde sequitur, decimas omnibus & singulis baptismalibus ecclesiis debitas ad solum episcopum pertinuisse? Annon Capitulare potius indigitat, quod si devotio, id est donatio decimarum facta fuit, firma maneat, ita tamen, prout episcopus eam ratihabuerit, seu confirmaverit. Immo quid ex his verbis:

Epis-

(c) *De Veter. & nov. Eccles. disciplin. Part. I. Lib. II. Cap. 5. §. 8.*

(d) Apud ANTONIUM AUGUSTINUM *Antiq. Collect. I. Tit. 16. Cap. 5.*  
Capitulum hocce GONZALEZ TELLEZ in *Not. ad Cap. 4. X. de officio Archipresb. Lit. a;* JOANNI IX. adscribit, contra JANUS A COSTA cit. loc. ex Synodo Ravennensi sumit.

(e) *Tit. XLVIII. Cap. II. apud BALUZIUM Capitular. Tom. II. pag. 164.*  
Conferatur idem BALUZIUS cit. Tom. II. pag. 854. nec non THO-  
MASSINUS cit. *Lib. II. Cap. 6. §. 2.*

(f) Videlicet ruralem, JANUS A COSTA cit. loc. & GONZALEZ TEL-  
LEZ in *Not. in Cap. 4. X. de officio Archipresb. Lit. C.*

(g) *Cap. II. apud BALUZIUM Capitular. Tom. I. pag. 291. & apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. I. pag. 383.*

*Episcopus ipius Parochie colligendum, nisi sermonem esse de donatione baptismali ecclesiae, cui episcopus praest, facta atque confirmata? Dum Concilium Moguntinum (b) statuit: Ecclesiae antiquitus constitutae, nee decimis, nec aliis possessionibus pro novis oratoriis sine consensu & Consilio Episcopali priventur. Num inde sequitur decimas omnibus & singulis baptismalibus ecclesiis debitas ad Episcopum pertinuisse? Alioquin etiam sequi necessum foret, omnes baptismalium ecclesiarum possessiones ad solum episcopum pertinuisse. Adhac notio notius est, graviores caussas ab archipresbyteris expediri, atque ita docente CALIXTO (i) animarum curam, vel praebendas ecclesiae sine judicio, vel consensu episcopi alicui tribui haud potuisse. Si ergo archipresbytero pariter non licuerit, ecclesiam decimis sine consilio & consensu episcopali privare, num ideo decimae episcopo quot annis debebantur? Dum Concilium Triburicense (k) statuit: Si quis autem in affinitate antiquae ecclesiae novalia rura excoluerit, decima exinde debita antiqua reddatur Ecclesiae. Si vero in qualibet sylva, vel deserto loco, ultra miliaria IV. aut V. vel eo amplius, aliquod dirutum conlaboraverit, & illic consentiente Episcopo Ecclesiam construxerit, & consecratam perpetraverit, prospiciat Presbyterum ad servitum Dei idoneum, & studiosum, & tunc demum novam decimam novae reddat Ecclesiae: salva tamen potestate Episcopi. Num inde sequitur, decimas baptismalibus ecclesiis debitas ad episcopum pertinuisse? Annon potius quaestio heic est de diruta ecclesia restauranda, & construenda? An ideo erat etiam baptismalis? An ideo aedificatori permitte poterat novae ecclesiae novam decimam reddere, nisi salva potestate episcopi, cui, qua baptismalis ecclesiae rectori, decimae debebantur? Vanas proinde rideamus nugas.*

### ANTITHESIS XXXI.

*Quo dissertator (l) demonstret, omnes ecclesias baptismales una cum ipsis decimis ad episcopos pleno jure pertinuisse, varia adducit exempla. Quænam autem illa? EBERHARDUS Salisburgensis*

(h) Cap. XI. apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. II. pag. 156.

(i) Cauff. XVI. Quæst. 7. Can. II.

(k) Cap. XIV. apud HARTZHEIM cit. Tom. II. pag. 395.

(l) Cit. §. 18. pag. 57. lit. a.

gensis Archiepiscopus prædecessoris sui CONRADI largitionem decimarum duarum parochiarum Putinenſis & Bambergensis, atque novalium vicinorum, partim cultorum, partim excolendorum cœnobio Richersbergensi factam anno MCLX. confirmavit, seu ratam habuit. Verum an solus? annon in Capitulo, sive Synodo habita (m) cum Romano Gurcenſi Episcopo, Hugone Præposito maj. Ecclesiæ, Godfrido Abbe Admontensi, Romano Gurcenſi Præposito, Hecilone Abbe Osciacensi, Pilgrimo Abbe S. Pauli, Wernhero Præposito Seccoviensi, Chunone Præposito Subonenſi, Magistro Adalberto de Hoven, Hademaro Archi-Presbytero, Frisacensi Plebano, Engelrammo de S. Maria, Archidiacono Zoliensi & Othakero Archi-Presbytero de Viscah. Ecqua porro de cauſa largitio ista fuit ratihabita? Cauſa quidem nobis non innotescit, gravem tamen, immo gravissimam adfuisse eo magis præsumendum est, cum jam tum in Concilio MARTINI Papæ (n) sanctum esset: *Siquis Episcopus nulla Ecclesiastice rationis necessitate compulſus in Clero ſuo, aut ubi forte non eſt Presbyter, de rebus Ecclesiasticis aliquid præſumpſerit vendere, & res ipſas Ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in judicio Episcoporum dejicitur auditus & convictus, & tanquam furti aut latrociniī reus ſuo privetur honore.* Quis quaefo inde colligeret, omnes Eccleſias baptismales cum decimis ad episcopos pleno jure pertinuisse? præſertim cum non ſolum Concilium Agathense (o) statuat Diaconi, vel presbyteri in paroquia conſtituti, de rebus Ecclesiæ ſibi creditis nihil audeant communicare, vendere, vel donare: quia res ſacratæ Deo eſſe noscuntur. Similiter & Sacerdotes nihil de rebus Ecclesiæ ſibi commiſſæ alienare præſumant. Quid si fecerint, convicti in Concilio, & ab honore depositi, de ſuo aliud tantum reſtituant, quantum viſi ſunt præſumpſiſſe. Verum etiam Concilium Carthaginense unicum (p) referat: *ut presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi ſunt conſtituti, neſcientibus Episcopis suis: quo modo nec Episcopis liceat vendere prædia Ecclesiæ inconsueto Concilio, vel cuncto Presbyterio ſine illa neceſſitate.* Nunc pergamus ad CONRADUM Spirensis episcopum, qui anno MCCXXXV. canonis ecclesiæ ſuæ Spirensis eccleſiam in Didesheim tam in jure patronatus, quam in dore, nempe

(m) HARTZHEIM Concil. German. Tom. III. pag. 386.

(n) CAUSS. X. Quæſt. 2. Can. 8.

(o) CAUSS. XII. Quæſt. 2. Can. 35.

(p) Cit. CAUSS. XII. Quæſt. 2. Can. 51.

aempe decimis, mancipiis, vineis &c. pro communi usu deinceps possidendum donavit. Quid inde? Annon COELESTINUS III. (q) dudum rescripsit: *Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjecere alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiæ suæ diæcessis unio & subjeccio earundem.* Annon ergo rationabiliter credere fas est, ecclesiam Didesheimensem cathedrali legitimis ex causis unitam esse? Interim an ideo ad episcopum pleno jure pertinuit. Porro ADALBERTUS Salisburgensis Archiepiscopus non solus, & propria auctoritate, sed cum assensu totius congregationis (r) five Synodi Libnizensis plebem in Dissenich, & pleben in Palta cum omni jure plebesanarum ecclesiarum fratribus admuntenibus anno MCLXXXVII. in concambio tradidit. Hinc pariter credendum est, legitimas, ac canonicas adfuisse caussas. Similiter GERARDUS Tullensis episcopus, non propria auctoritate, sed cum totius sedis clero, abbatibus quoque monachis, & fidelibus laicis habito confilio, (s) monasterium S. Mansueti ab antecessore suo coeptrum, sed imperfectum relictum reformavit, eique cellam de monte Barro, & dimidiam decimationem omnium lignorum, quæ per Mosellam vehuntur navibus &c. anno CMLXXXII. concessit, insimul quandam ecclesiam cum integritate census, & decimationis, sicut eam in manu sua tenebat, sitam in villa, quæ vocatur Ingolini curtis, dicatam in honorem sanctorum lupi, & Remigii episcoporum in comitatu Barrensi, ecclesiae S. Michaelis in monte Barro noviter constructæ anno CMLXXXVIII. in publica Synodo (t) & subsignantibus Rotberro Primitorio, & Archidiacono, Arcufrido Decano, & Archidiacono, Lambertino Archidiacono, Ansteo Archidiacono, atque Harberto Archidiacono tradidit. Annon iterum præsumendum, legitimas ac canonicas extitisse caussas? Annon insuper Synodus anno DCLV. sub RECCESVINTHO Rege celebrata, quam Toletanam IX. appellant (u) jam tum statuit (x) *Quisquis itaque Episcoporum in parochia sua*

## D

mona-

(q) Cap. 8. X. de excess. prælat.

(r) HARTZHEIM Concil. German. Tom. III, pag. 441.

(s) HARTZHEIM Concil. German. Tom. II, pag. 665.

(t) HARTZHEIM Cit. Tom. II, pag. 669.

(u) BERARDUS de Gratian. Canon. Part. I. Cap. 17. pag. 246.

(x) CAUSS. XII. Quæst. 2. Can. 74. ad quem BOEHMER in Corp. Jur. Canon. Tom. I. pag. 604. eruditæ notat: "Rursus hoc ad ea referendum

monasterium construere forte voluerit, & hoc de rebus ecclesiae, cui praeſdet, ditare decreverit, non amplius ibidem, quam quinquagesimam partem dare debet, ut bac temperamenti aequitate servata, & cui tribuit, competens ſubſidium conferat, & cui tollit, damaña gravia non infligat. Ad eccleſiam vero, quæ monaſtici non informabitur regulis, aut quam pro ſuis magnificare voluerit ſepulturis, non amplius, quam centesimum partem censuſ Eccleſiae, cui praeſdet, ibidem confeſſe licebit. Tandem dum GELENIUS (y) tantum ex tabulario Tuitiensi refert, a PILEGRI-NO Colonienli Archiepiscopo eccleſias in Heringe & in Unna, & in omnibus Saxoniæ partibus ſitas, quarum videlicet censuſ ad idem Monalberium ſpectat, id eſt Boine, Derne, Waltohorp. Hillen, Wartenscheide, Herebedde, Affelterbach, sanctæ Mariæ, & beato HERIBERTO, id eſt monaſterio Tuitiensi, sub HERIBERTO antecessore anno MXIX. conſtructo, insuper decimam de Buchein, & decimam de Westhovo, VII. talenta Tremoniensis moneræ ad fratrum pellicia perſolventem confeſſas eſſe, quis tabularii fidem, totamque rei ſeriem, atque historiam noverit? Etenim de Unna D. VON STEINEN (z) refert: Vorzeiten, ſchon 1032. iſt Unna ein anſehnliches Dorf geweſen, und hat mit ſeinem Beſitz, welcher das Gougericht (Advocatia oder Praefectura) genennet wuſt dem Erzbifchofen zu Cölln zu gehöret. Im Jahr 1243. am Ta e Phili pus und Jacobus iſt es vom Erzbifchofen zu Cölln, Henrich von Hochſieden an Graf Adolph von der Mark übergeben, und um eben die Zeit von dem Herzog Henrich von Limburg und Grafen vom Berge demfelben die Erlaubniſ gegeben wor- den, dafſelbe zu beſätiſgen, worauf es denn auch im Jahr 1250. mit ei- ner Mauer umzogen, und mit Stadtreyheiten begabt worden iſt. Et de West-

“ dum tempora, quibus constantia beneficia nondum erant introducta,  
“ & plerique clerici ex bonis eccleſiae alendi erant. Præcavendum  
“ enim erat, ne in præjudicium clericorum ex bonis communibus  
“ plus, quam par erat, exſtruptioni monaſteriorum & eccleſiarum in-  
“ penderetur. Aſt postquam bona certa mentæ episcopali destinatae  
“ ſunt, nemini fit præjudicium, ſi potiores redictus, quos ſuos facie-  
“ episcopus, in hanc cauſam verterit, vel aliter conſumplerit.”

(y) De Magnitudine Coloniae Lib. III. Synt. 14. pag. 382.

(z) Westphälische Geschichte Th. II. St. XIII. Kap. 1. §. 2. Conferatus KLEINSORGEN Kirchen Geschichte von Westphalen Th. I. Buch V. §. 13

Westhoven laudatus VON STEINEN (a) duo adfert diplomata,  
 quorum primum sonat "Nos Albertus Dei gratia, Romanorum Rex  
 " semper Augustus recognoscimus, univeris tenore praesentium,  
 " declarantes, quod nos viro spectabili Comiti Eberhardo Comiti  
 " de Marca, fideli nostro dilecto pro benevolentia & gratis, quae  
 " nobis & imperio impedit, obsequiis in mille Marcis pagamenti  
 " ex liberalitate Regia debitores existimus, & insuper eidem ratione  
 " obsequiorum, quae quandam Regi & Adolpho versus Myssenam  
 " exhibuit, in quadringentis marcis praedicti pagamenti tribus Hallen  
 " aestimatis vel taxatis pro denario obligamur; pro quibus quidem  
 " mille quadringentis Marcis, dicto Comiti Curias Dortmundi,  
 " Westhoven, Elmenhorst, & Brakel titulo pignoris assignamus te-  
 " nendas per ipsum, tam diu, donec ipsi comiti, vel suis haeredi-  
 " bus dicta pecunia per nos vel successores nostros in Imperio Ro-  
 " mano plenarie fuerit persoluta. Quodsi dictus Comes per nos &  
 " successores nostros de praedictis debitis expeditus fuerit, eadem  
 " curiae ad nos & Imperium libere revertantur: In cuius rei testi-  
 " monium praesentes litteras sigillo Majestatis nostrae signatas, dedi-  
 " mus super eo, datae in Ulma, decimo tertio Kalendar. Februarii  
 " anno Domini 1300. Indictione decima tercia, Regni vero nostri  
 " anno secundo,. Alterum contra hujus tenoris est "Nos Al-  
 " bertus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus ad univer-  
 " sorum notitiam volumus pervenire, quod audita & intellecta re-  
 " latione Walrami de Valckenburg, & Johannis de Kuyt Dominico-  
 " rum dilectorum nostrorum fidelium, in quos tanquam in arbitros,  
 " & Arbitratores ex parte venerabilis Wilboldi Coloniensis Archie-  
 " piscopi, & nobilis viri Everhardi Comitis de Marka, dilecti no-  
 " stri fidelis, super bonis, videlicet Curia in Tremonia, Curia in  
 " Westhoven, Curia in Brackel, & Curia in Elmenhorst de quibus  
 " inter eundem Archiepiscopum & Comitem de Marka praedictum  
 " quæstio habebatur, quae quidem bona idem Archiepiscopus sibi  
 " ex commissione pertinere dicebat, & quae etiam bona ex adverso  
 " ipse Comes de Marka sibi dicebat esse obligata in pignore, ex-  
 " titit compromissum: judicamus, definimus, & pronunciamus bo-

D 2

"na

(a) Westphälische Geschichte Th. I. St. VI. Bl. 1706. und 1707. Confera-  
 tur KLEINSORGEN Kirchen Geschichte von Westphalen Th. II.  
 Buch VII. §. 45.

“ na hujusmodi ipsum Comitem de Marca habere & tenere debere,  
 “ sicut sibi sunt ex causa pignoris obligata, dantes has nostras lite-  
 “ ras in testimonium super eo Datum in Wetslaria anno Domini  
 “ 1301. indictione XIV. sexta idus Februarii, Regni vero nostri  
 “ anno tertio „. Interim an Unna sit illa ecclesia, & Westhoven  
 “ illæ decimæ, de queis tabularius, vel tabularium Tuitiense me-  
 “ morat, jam non indagavero. (b)

ANTL.

(b) Multo minus perquirere lubet, an Boine sit idem, de quo VON STEINEN Westphälischer Geschichte Th. III. St. XVIII. Kap. 3. Abs. 1. §. 1. Bl. 924. refert: Boenen ist ein weitläufig Kirchdorf, zwischen Hamm und Unna auf einer Höhe gelegen, und hat so, wie das ganze Kirchspiel schöne Ländereyen, Weiden, Wiesen, und auch nötig Holz, besonders währet in diesem Kirchspiel der schubste Weinzen. An Derne sit idem, de quo VON STEINEN Westphälischer Geschichte Th. IV. St. XXIV. Kap. 1. Abs. 1. §. 1. Bl. 254. refert: Zwischen Lünen, und Dortmund nicht weit von der Landstrasse, in einer sehr fruchtbaren Gegend, lieget dieses einzige Kirchdorf im Amt Lünen, davon ein vormahls berühmtes jgo aber nicht mehr vorhandenes Geschlecht von Derne, auch Deren geheissen, den Namen haben sol. An Wattenscheide sit idem, de quo VON STEINEN Westphälischer Geschichte Th. III. St. XVI. Kap. 9. Abs. 1. §. 1. & 2. Bl. 444. refert. Wattenscheid, in alten Briefen auch Matzescheid und Waikenische geheissen, lieget zwischen Bockum und Essen in einer fruchtbaren Gegend. Dieser Ort, welcher klein ist, und etwa aus 160 Haushaltungen besteht, wird durch Bürgermeister und Rath regiert, und hat unter anderen auch 3. Jahrmärkte. An Herebedde sit idem, de quo VON STEINEN Westphälischer Geschichte Th. IV. St. XXVIII. Buch 2. Kap. 1. §. 1. Bl. 761. und 794. non solum refert: Herbede, in alten Nachrichten auch Herlbech geheissen, ist ein weitläufig Kirchdorf, nebst einem eigenen Gericht an der Ruhr zwischen Dortmund und Blanckenstein in einer angenehmen und fruchtbaren Gegend gelegen, und haben die Einwohner des Dorfs nicht allein, sondern auch im ganzen Kirchspiel schön Kornland, Weiden, Wiesen, und Waldungen, sed & subdit diploma tenoris “ Nos Adolphus Comes de Marka, notum facimus univer-  
 “ sis, presentibus publice recognoscentes, quod nos, nostrique here-  
 “ des Cunradum de Elverfelte militem, suosque veros heredes utrius-  
 “ que sexus de advocatia curtis in Herbede pro libero feodo infeoda-  
 “ bimus, seu infeodare tenemus, eum ab ipsis fuerimus requisiti. In  
 “ cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum.  
 “ Datum anno MCCC quadragesimo secundo, in festo beati Bartholo-  
 “ mei

## ANTITHESIS XXXII.

Forte exempla minus sufficere videntur. Hinc a dissertatore (c) plena Capitularium, ac Canonum adducitur phalanx, cum qua nunc conferendae manus. Utique Concilium Aurelianense I. (d) statuit: *Omnes basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cuius territorio positæ sunt.* Verum in qua potestate? In potestate nimirum ordinis, qua Episcopus, ut sanctus EPIPHANIUS (e) effert, patres Ecclesiæ, id est presbyteros, aliosque episcopos generare potest, ac jurisdictionis, quæ adfert jus beneficia conferendi, causas audiendi, leges & censuras ferendi, & cætera præstandi, quæ ad subiecti gregis regimen necessaria sunt. Contra qua potestate Episcopus in rebus, bonisque ecclesiarum, quibus ut presbyter, seu parœcus non præest, polleat, ipsi canones aperte loquuntur. Sic Concilium Bracharense (f) loquitur: *Placuit ut nullus Episcorum per suas diæceses ambulans, præter honorem cathe dræ suæ, id est, duos solidos, aliud aliquid per Ecclesiæ tollat: neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi in Ecclesiæ parochialibus re quirat: sed illa tertia pars pro luminaribus Ecclesiæ, vel reparacione ser vertur, & singulis annis Episcopo inde ratio fiat.* Nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen, & sarta tecta abstulit Ecclesiæ. Similiter & parochiales clerici servili more in aliquibus operibus Episcopo servire non

"mei Apostoli... Contra Heringe procul dubio est, de quo sæpe ci tatus VON STEINEN Westphälischer Geschichte Th. III. St. XVIII. Kap. 5. Abs. 1. §. 1. & 3. Bl. 942, refert: Heringen ist ein weitläufig Kirchdorf zwischen den Städten Hamm und Lünen, nicht weit von der Landstraße gelegen, und ist die Gegend hier und in ganzem Kirchspiel sehr fruchtbar. Die Pfarrkirche ist alt, und weil der Erzbischof zu Köln Pelagius im Jahr 1032. diese Kirche im Lande von Sachsen gelegen, zu Ehren Gottes, seiner heiligsten Mutter, des H. Heribertus und zu Errettung seiner Seelen, dem Kloster zu Quedlinburg geschenkt, ist der Abt zu Quedlinburg als Patron dieser Kirchen geachtet worden. Conseratur KLEINSORGEN cit. §. 18.

(c) §. 18. & 19. pag. 58. lit. a. b. c. & d.

(d) CAUSS. XVI. Quæst. 7. Can. 10.

(e) Lib. III. Tom. I. Hæres. 76. pag. 216.

(f) CAUSS. X. Quæst. 3. Can. 1.

non cogantur: quia scriptum est: Neque ut dominantes in Clevo. Sic Concilium Toletanum XVI. (g) loquitur: Unio nostræ congregationis decernit, atque instituit, ut tertias, quas antiqui Canones de parochiis suis babendas Episcopis censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis diruta Ecclesiæ reparantur. Sin vero eas maluerint cedere, ab eaurundem Ecclesiarum cultoribus, sub cura & solicitudine sui Pontificis, reparatio eisdem est adhibenda basilicis. Quod si omnes Ecclesiæ aut incolumes fuerint, aut quæ diruta erant, reparatæ extiterint, secundum antiquorum Canonum instituta, si tertias sibi debitas unusquisque Episcopus assequi voluerit, facultas illi omnimoda erit: ita videlicet, ut circa ipsius tertias nullus Episcoporum quidpiam pro Regiis inquisitionibus a parochianis Ecclesiæ exigat, nihilque de prædiis ipsarum Ecclesiarum cuiquam causa stipendi dare præsumat. Sic Concilium Cabilonense II. (b) loquitur: Cavendum est, ne cum Episcopi parochias suas peragrant, quandam dannosum erga subditos, seu erga socios tyrannidem exerceant, nec, quod absit, cum charitate, sed cum quadam justitiaria invectione stipendia ab eis exigant. Observandum etiam modis omnibus, ut si quando eis peragrande parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum pretius, quam in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dent. Et si quando eis ad peragendum ministerium suum a fratribus aut subditis aliquid accipiendum est, hoc sumuropere observare debent, ne quem scandalizent, aut gravent. Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, ut & verbi Dei prædicator, ubi proprii sumptus desunt, a fratribus accipiat, & item fratres illius potentia non graventur, exemplo Apostoli Pauli, qui, ne quem gravaret, arte & manibus viatum querebat. Sic Concilium Antiochenum (i) loquitur: Episcopus Ecclesiæ filiarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei. Participet autem & ipse, quibus indiget, si tamen indiget, tam in suis, quam in fratribus, qui ab eo sufficiuntur, necessariis usibus profuturis; ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic dicentem: Habentes viatum & tegumentum, his contenti simus; Quod si contentus ipsis minime fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda, vel

(g) Cit. Quæst. 3. Can. 3.

(h) Cit. Quæst. 3. Can. 7.

(i) CAUSS. XII. Quæst. I. Can. 29.

vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conscientia, Diaconorumque pertrahet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occulte res laedantur. Ecclesiae, Synodo provincie pœnas iste persolvat. Sic Concilium Romanum ab EUGENIO Papa II. habitum (k) loquitur: Nulli Episcoporum licet res mobiles aut immobiles, de subjectis plebibus, aliisque piis locis, in proprio usu babere: ne majores enormiter locupletentur, & minores tali factio pauperes inveniantur. Contra agens, canonica auctoritate coarctatus existat. Quis proinde jactabit, baptismales ecclesiæ cum ipsis decimis ad Episcopum pleno jure pertinuisse? Nihilominus tamen dissertator instat, Concilium Ticinense (l) perhibere: In sacris canonibus præfictum est, ut deinceps decimæ juxta Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem laici qui vel in propriis, vel in beneficiis suas habent basilicas, contempta episcopali dispositione, non ad Ecclesiæ, ubi Baptismum, & prædicationem & manus impositionem & alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant; sed vel propriis basilicis, vel aliis Ecclesiæ pro suo lubitū tribuunt: quod omnino divinae legi & sacris canonibus constat esse contrarium. Unde vestram potestatem, ut eos corrigatis, expetimus. Dein NICOLAUM Papam II. (m) perhibere: Præcipimus, ut decimæ & primitiæ, seu oblationes vivorum & mortuorum Ecclesiæ Dei fideliter reddantur a laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint: quas qui retinuerint, a sanctæ Ecclesiæ communione separantur. Porro GREGORIUM VII. (n) perhibere: Has vero decimas sub manu Episcopi fore censimus: ut ille, qui cæteris præst, omnibus justè distribuat, nec cuiquam personæ honorabilius exhibeat, unde alii scrupuloſo corde

(k) Cit. Quæſt. I. Can. 27. BERARDUS de Gratian. Canon. Part. II. Tom. I. Cap. 46. pag. 394. adnotat: "Quis enim facile ſibi perſuadere posſit, tantum Episcopo ſoli illis temporibus fuſſe confeſſum, quantum universis clericis numero quamplurimis in Ecclesia eadem, non minori aliquando fedulitate ſingulis ministrantibus? Niſi forte quispiam tales Episcopos tum effingere maluerit, quales pingebat auctor canonis 23. diſt. 93. ibi: Singuli quique per potentiam Episcopalis non minis, quam ſibi ipſi illicite absque Ecclesia vindicarunt, totum, quod levitarum eſt, in ſuos uſus redigunt .."

(l) CAUSS. XVI. Quæſt. I. Can. 56.

(m) Cit. CAUSS. XVI. Quæſt. 2. Can. 3.

(n) Cit. CAUSS. XVI. Quæſt. 7. Can. I.

corde moveantur: sed sint omnia communia: quia inboneatum videtur, ut  
alii Sacerdotes habeant, alii vero detrimentum patientur: sed sicut una est  
fides catholica, ita necesse est, ut ille, qui provisor est loci, quamvis mul-  
tae sint Ecclesiæ, omnibus tamen fideliter distribuat. Hisce ubi disserta-  
tor adhuc Synodum Duriensem de anno DCCLXXIX. Moguntinam  
de anno DCCCXLVII. Laureacensem de anno CMLXXVI. atque  
Augustanam de anno MCLII. addiderit, nullatenus tamen evincet,  
omnes baptismales ecclesias cum ipsis decimis ad episcopos pleno  
jure pertinuisse, præcipue cum Synodus Moguntina de anno  
DCCCXLVII. (o) usque adeo statuat "ut decimæ, quæ singulis  
" dantur Ecclesiis, per consulta Episcoporum a Presbyteris ad usus  
" Ecclesiæ & pauperum summa diligentia dispensentur. Quatuor  
" autem tam de redditibus, quam de oblatione fidelium, prout cu-  
" juslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est  
" decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, al-  
" tera clericorum, pauperum tertia, quarta Ecclesiæ fabricis appli-  
" canda juxta constitutionem Episcopalem .. Hicce etiam teste  
VAN ESPEN (p) omnium ecclesiarum communis consensus fuit,  
proventus ecclesiasticos in illos usus esse impendendos, id est, ex  
iis episcopos, & alios inferiores ministros sustentandos, pauperes  
alendos, & fabricam intertinendam.

### ANTITHESIS XXXIII.

Nunc tandem dissertator (q) ad decimas novales, seu novalia pro-  
cedit, atque in primis Triburensem Synodum invocat, de qua  
jam supra (r) egimus, adeoque heic filemus. Dein etiam disserta-  
tori parum suffragatur GUNTHARIUS Bambergensis episcopus,  
qui de Synodo Bambergensi anno MLVIII. celebrata (s) refert "Huic  
" Synodo Eberhardus Comes, Wirzeburgensis Advocatus, superve-  
" niens,

(o) CAN. X. apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. II. pag. 156.  
Conferatur Synodus Triburensis Cap. XIII. apud HARTZHEIM cit.  
Tom. II. pag. 395.

(p) Jur. Eccles. Part. II. Tit. XXXII. Cap. 6. §. 15.

(q) §. 19. pag. 59. lit. a. & b.

(r) ANTITH. XXX.

(s) Apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. III. pag. 126.

" niens, decimationes quasdam Novalium nostrorum per prolocuro-  
 " rem suum *Apelin de Cunstat* Wirzeburgensi ecclesiæ reposulavit:  
 " sed meo Advocato *Wolframmo*, per prolocutorem suum Katzeli-  
 " num de Hamfenfeld, respondentे, ac Domno Meinnardo cartam  
 " de eadem re coram omnibus perlegente, Synodali judicio ex-  
 " postulatio ista infirmata est, & supradicta decimatio nostræ Eccle-  
 " siæ adjudicata, sicut ego, meique fideles, protestari sunt Dominum  
 " nostrum Imperatorem Heinricum hujus Episcopii terminos suo  
 " prædio a Wirzeburgensi Ecclesia commutasse .. Hic itaque plus  
 non testatur, quam quasdam decimationes novalium, de queis Wir-  
 zeburgensis episcopus cum Bambergensi litigabat, Ecclesiæ Bamber-  
 gensi adjudicatas fuisse. Dum porro Synodus Pataviensis de anno  
 MCCLXXXIV. (t) perhibet. " Cum ad nos omnium novalium De-  
 " cimæ per nostram Diœcesin pertineant, & a nostris tunc præde-  
 " cessoribus reperitæ; statuimus, & nihilominus districte præcipien-  
 " do mandamus, ut omnes Plebani, Vicarii, & Ecclesiastarum Recto-  
 " res Decimas novalium per suas parochias ortas, vel tunc orituras,  
 " Nostro, & Ecclesiæ nostræ nomine suis temporibus repetant, col-  
 " ligant, & requirant, nobis eas fideliter & solcite conservando; "  
 An inde inferre licebit, omnes decimas tam ordinarias, quam no-  
 vales ad episcopos pleno jure pertinuisse? Annon Synodus de ec-  
 clesia sua loquitur, cujus partes sunt baptismales, parochiales, aliæ-  
 quæ ecclesiæ? An ergo de toro sollicita, partes excludere censenda  
 est? Adhæc an præsumere licebit, episcopum omnibus decimis tam  
 ordinariis, quam novalibus gavismum, contra plebanos & cæteros  
 fuisse destitutos? Longe aliter statuta synodilia JOANNIS Episcopi  
 Leodiensis anno MCCLXXXVII. edita (u) insinuant, ac præcipiunt  
 " Quod quilibet laici, sive nobiles, vel alii, qui antiquarum occa-  
 " sione decimarum, quas in aliquibus Parochiis percipiunt vel ex  
 " donatione, vel ex largitione nobilium, seu alia occasione, quas-  
 " cunque decimas novalium in terris propriis, vel aliis in quibusli-  
 " bet Parochiis obvenientes occupant, attrahunt, & sibi vendicant,  
 " penitus ab occupatione, attractione, & usurpatione earundem de-  
 " cimarum novalium desistant, & de ablatis satisfaciunt tam nobis,  
 " quam Ecclesiasticis personis, quibus ipsæ novales decimæ de jure  
 " competit, ipsas decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, de cætero

E

" paci-

(t) CAN. XXVIII. apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 678.

(u) CAP. XXII. apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 712.

" pacifice possidendas relinquentes .. Quo contra juris fuko a dis-  
 fertatore allegatur THEODORICUS I. Metenfis episcopus, qui  
 memorante SIGEBERTO (x) decimas ECCLESIARUM SUÆ DIO-  
 COESEOS a prædecessoribus suis stipendiis, vel beneficij loco depu-  
 tatas personis laicis, synodali auctoritate, & episcopali censura sub-  
 traxit, illis quamvis invitis, & reclamantibus? Amnon inde potius  
 sequitur, decimas non ad solam carthaginalem, sed & ad cæteras  
 diocæses ecclesiæ pertinuisse? Nil proinde de novalibus. Quo pa-  
 riter fuko allegatur Synodus Laureacensis, quæ tantum (y) refert,  
 " Penitus videlicet, ac continuatim omnem decimationem infra præ-  
 " scriptos limites, Aneli fluvii scilicet, & Comageni montis, ante  
 " proximam barbaricam suæ Diœcesis devastationem, in ditione,  
 " & potestate prædictæ sanctæ Bataviensis Ecclesiæ, sibique præsi-  
 " dentium Episcoporum, & fuisse, & adhuc jure esse debere, hac  
 " tantum excepta decimatione, quam ab aliis Ecclesiasticis posselli-  
 " nibus, ex dominica pertinentia ad partem usus ubique censuit da-  
 " ri, & eam tantum, quam ex antiqua Regum munificentia constat  
 " esse traditam .. Quid heic de decimis novalibus? Nihil omnino.  
 Quo etiam fuko allegatur LUDOVICUS GERMANICUS statuens  
 (z) " Idem episcopus, nimirum EGIBERTUS Osnabrugensis epis-  
 " copus, sive successores decimas infra terminum sui Episcopii,  
 " cæterasque res suæ Ecclesiæ, quas modo possidet, vel deinceps  
 " adquisierit, quieto ordine obtineat & gubernet. Exceptis deci-  
 " mis Dominiculum, Monachis & sanctimonialibus pertinentium,  
 " quod nos Foravuerch vocamus, quas pater noster Hludouicus  
 " de eodem Episcopatu per cambiatum adquisivit, & ad pauperum  
 " sustentationem & peregrinorum receptionem jam dictis Monaste-  
 " riis tradidit. Servi autem ipsorum, & liberi, & cuiuscunque  
 " conditionis coloni decimas, ut cæterorum in Saxonia jus est Epis-  
 " coporum, secundum Caroli institutionem Episcopo pleniter offe-  
 " rant .. Quid heic iterum de decimis novalibus? Nihil. Quo  
 porro fuko allegatur OTTO M. (a) referens "His vero nobiscum  
 " in-

(x) In Vita S. Theodorici Cap. 15. apud LEIBNITIUM Scriptor. Ret.  
Brunsteic. Tom. I. pag. 302.

(y) Apud HARTZHEIM Concil. Germ. Tom. II. pag. 658.

(z) Apud HARTZHEIM cit. Tom. II. pag. 164. & apud D. MOESER  
Osnabrückischer Geschichte Th. I. Urkunde VI. Bl. 12.

(a) Apud D. MOESER Osnabrückischer Geschichte Th. II. Urkunde XIV. Bl. 6.

" in Synodo confidentibus, Episcopus & sui adversarii in medio  
 " constabant. Ibi utrorumque sententiis auditis, & subtiliter diju-  
 " dicatis, decimas Episcopo canonica auctoritate reddi debere om-  
 " nes affirmabant. Sicque Abbas & Abbatissæ sive fautores Syno-  
 " dali sententia convicti decimas Episcopo reddiderunt „. Quid de  
 decimis novalibus? Annon sermo de decimis, queis LIUDOLFUS  
 Osnabrugensis episcopus ecclesiam suam ab abate Corbejensi, at-  
 que abbatissæ Herifordensi deprædatam conquerebatur? Cum tandem  
 HENRICUS IV. (b) relatum OTTONIS M. præceptum tantum  
 modo confirmarit, quæ de decimis novalibus poterat esse quæstio?

### ANTITHESIS XXXIV.

**D**i boni! Ad confirmandas nugas dissertator (c) usque adeo audet  
 antestari summos Pontifices, videlicet PASCHALEM II. atque  
 INNOCENTIUM III. Utique PASCHALIS II. HENRICO V.  
 juxta propria Imperatoris allegata (d) respondit: *Fratres Ecclesie de-*  
*cimis & oblationibus suis contentæ sint: Rex vero prædia & regalia, quæ*  
*a Carolo & Ludovico, Ottone & Henrico Ecclesie collata sunt, sibi &*  
*successoribus suis recipiat & detineat.* An ideo quoque statuit, omnes  
 decimas tam ordinarias, quam novales ad episcopos pleno jure per-  
 tinere? Profecto non nisi nugipolyloquides (e) ita fabulatus fuerit.  
 Porro INNOCENTIUS III. (f) Vesprinensi episcopo (g) quidem  
 rescripsit: *Decimas omnium terrarum, quæ per rusticos Hospitalis Ves-*  
 E 2 pri-

(b) D. MOESER cit. Th. II. Urkunde XXIX. 31. 28.

(c) Cit. §. 19. pag. 60. lit. a. & pag. 61. lit. a.

(d) Vid. DODECINI Appendix ad Mar. Scotti Chron. apud PISTORIUM  
*Rer. German. Scriptor. Tom. I.* pag. 668. nec non HARTZHEIM  
*Concil. German. Tom. III.* pag. 259.

(e) Verbum hibridum a PLAUTO compositum.

(f) Cap. 31. X. de Decimis. GONZALEZ TELLEZ in *Comment. ad cit. Cap.*  
 31. X. de Decimis ita legit "Decimas omnium terrarum, quæ per  
 " rusticos Hospitalis in Vesprinen. diœc. excoluntur, & de Cyrogan.  
 " & de nova Curia Ecclesiæ, quæ per Hospitalarios detinentur, eas  
 " dem tanquam ad te spectantes, intentione tua de jure communi  
 " fundata petisti „. Conferatur BOEHMERUS in *Not. ad cit. Cap. 31.*  
*X. de Decimis.*

(g) Ecclesia Vesprinensis est in Ungaria sub Archiepiscopo Strigoniensi,  
 cuius præfus cancellarius Reginæ est. GONZALEZ TELLEZ in *Not.*  
*ad Cap. 19. X. de Præscript.* lit. e.

prinenis Diœcesis excoluntur, & de Chirographa, & de Novacularia Ecclœsias, quæ per ipsos Hospitalarios detinentur, intentione tua de jure communi fundata petisti. Verum ecqua de causa? Ex templo BARBOSA (b) cum pluribus aliis responderet, quod decima, sita in parochia ecclœsiae cathedralis, episcopo debeatur, quia respectu illius ecclœsiae dicitur proprie, & immediate parochus. De novalibus contra ante INNOCENTIUM III. jam tum ALEXANDER III. (i) responderat: Quoniam a nobis sollicitudo tua requisivit, quid de decimis novalium tuae diœcesis tibi sit statuendum? Respondemus, ut, si terræ, quæ arabiles sunt, intra certam alicujus Ecclesiae parochiam fuerint, decimas earum (tua parte retenta) eidem Ecclesiae facias assignari. Alioquin ipsa secundum discretionem a Deo tibi datam, alii Ecclesiae deputare, vel ad opus tuum poteris retinere. Hæc nunc sufficient. Fusius suo loco agemus.

### ANTITHESIS XXXV.

Cancrorum more iterum, iterumque dissertator (k) ad ordinarias decimas retrogreditur, demonstratus, episcopos circa decimas libere disposuisse. Insequamur itaque ordine, quo ducere dissertatori placuit.

1.) Trevirensis Archiepiscopus EGBERTUS (l) refert, RATHOLDUM Archiepiscopum antecessorem capellam in loco Vilre dicto cum ipsa villa, & additamentis, & omnem indominicam quoque decimationem in villa Noviant, similiter in Guarici campo ecclœsiam, & mansos cum omni integritate de sua proprietate S. PAULINO, id est, ecclœsiae S. PAULINI conscripsisse. Quid inde? RATHOLDUS capellam cum ipsa villa & additamentis, insuper & decimas in Noviant Ecclesiae S. Paulini concessit, sive univit. An non jure poterat? Quis dubitaverit? quippe cum quilibet episcopus teste BARBOSA (m) hac potestate polleat.

2.) Paderbornensis episcopus HENRICUS (n) anno MCIII. monasterio Abdinghoviano contulit. " Unum mansum in Curbike in " conse-

(i) In Collectan. in Cap. 31. X. de Decimis num. 3.

(k) Cap. 13. X. de Decimis.

(l) §. 20.

(m) Apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. II. pag. 663.

(n) De Offic. & Poteſt. Epis. Part. III. Allegat. 66.

(n) Apud HARTZHEIM Concil. Germ. Tom. III. pag. 246.

“consecratione principalis crucis in eorum ecclesia, quæ facta est V.  
 “Novemb. anno Dominicæ incarnationis MXC. Indict. XIII. præ-  
 “sentibus fere omnibus in hac civitate commorantibus, quandam  
 “decimam in Liesmari, mancipium unum Meinhardum nomine,  
 “cujus uxor nomine Gesike filia Joannis Rother ad nos pertinen-  
 “tes postea commutati sunt ad eandem Ecclesiam datis procis (seu  
 “notante SCHATENIO, porcis) muliere, nomine Geseke, & filio  
 “ejus Bernhardo, vivarium piscium juxta hanc civitatem in loco,  
 “qui dicitur Rimbike, mansum unum hic in civitate cum area in-  
 “tervenu cujusdam Cizonii, nostri ministerialis, ipsum mansum  
 “eatenuis in beneficio possidentis, tum autem secularibus negotiis  
 “renuntiantis, & emendationis viræ gratia monachorum in præfato  
 “Monasterio cohabitationem expertentis, filiis ejus præsentibus, no-  
 “strisque ministerialibus pluribus in testimonium assistentibus „  
 Episcopus proin non tantum de decimis, sed etiam de pluribus aliis  
 rebus disposuit, ut illi ob legitimas, & canonicas causas licebat.

3.) Halberstadensis Episcopus REINHARDUS (o) anno MCXX.  
 quandam sanctorum congregationem apud villam Schænenigen  
 institutam, sed inutiliter, & sine fructu dies suos deducentem com-  
 municato fidelium ecclesiæ consilio removit, & fratres juxta tradi-  
 tionem regulæ S. AUGUSTINI vitam ducentes substituit, illisque  
 tres quoque mansos juris sui, in eadem villa sitos, omnemque de-  
 cimam eorum possessionis ex eadem Schænenigeni villa ad se perti-  
 nenti, in eorum sustentationem concessit. Annon episcopus permit-  
 tente, quod supra (p) adduximus, Concilio Tolerano IX. substitutum  
 monasterium rebus ecclesiæ suæ ditare poterat?

4.) Referente ADELBERTO Moguntino Archiepiscopo in Syno-  
 do Moguntina anno MCXXVII. habita (q) RUTHARDUS antecessor  
 ejus contulit fratribus, in cœnobio B. Disboti Deo militantibus, tra-  
 didit etiam Decimam omnium pertinentium ad Episcopalem curiam,  
 quæ sita est in monte B. Albani Martyris, excepta dominicali terra  
 Episcopatus S. Albani, S. Victoris, S. Mariæ in Campo, S. Nico-  
 medis Martyris. Annon collara fuit decima omnium, quæ ad epis-  
 copalem curiam in monte S. Albani sitam pertinebant?

5.) Hil-

(o) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 279.

(p) Antithes. XXXI.

(q) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 300.

5.) Hildesheimensis Episcopus BERNHARDUS (r) anno MCXLIX. testatus est: *Hec nomina villarum, quarum decimas nostri prædecessores prædictæ, scilicet Lamspringensi contulerunt ecclesiæ, ut perbennem consolationem matris haberet filia: Lamespringe, Liermunde, Holtbusen, Vualdersheim, Getherode, Cedenem, Evenbusen, Northilleth, Bruneshusen, Molesbusen, Pitbete, Eilernesbusen, Redingeshusen, Eckebardesbusen, & Bantberem Annon credendum, dictas decimas ad ecclesiam prædecessorum spectasse?*

6.) Frisingensis Episcopus ALBERTUS (s) in Synodo anno MCLXX. habita notificavit: *Quod nos venerabili & dilecto Fratri Hainrico Præposito de Scheftelaren Decimationem in curte sua apud Cbeverloch, resignatam nobis a Parochiano Conrado de Brunnen tam in grano, quam in nutrituris pecorum, concessimus, Annon episcopus concessam decimam ante a quodam parochiano obtinuerat?*

7. Osnabrugensis Episcopus PHILIPPUS anno MCLX. ecclesiæ montis beatæ Gertrudis quasdam decimas dedit (t) Annon teste eodem episcopo *Imisca*, quæ post facta est soror illius ecclesiæ, SIGFRIDUS Sacerdos a Manegoldo Monetorio, Margaretha filia Henrici Camerarii, Helemidis filia Waldevici de Harst, Everardus de Halevelde, Isaac, qui factus est frater, Meinhardus, qui factus est frater, Crispina filia Magenoldi Rusi Warenbertus, & frater Robertus, Arnoldus de Tycklenburg. Alffgrim de Osnabrugge, Heilbardus de Harst, Richezo de Schleddense, & Joannes de Osnabrugge eidem ecclesiæ decimas dederunt. Hinc & Laici tum temporis decimis gravisi sunt.

8.) Idem Episcopus eidem Ecclesiæ pariter decimas duarum dormorum in Erpiken quatuor solidos solventes Domino inibi militantibus contradidit, Sicconis & Ministerialis sui beneficium decimam scilicet in Andervenne marcam solventem & duas amphoras butyri, & jugerum unum in facie Ecclesiæ Deo ibi servientibus delegavit (u) An inde concludendum, omnia jugera, & mancipia æque ac decimas ad episcopum pleno jure pertinuisse?

9. Idem

(r) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 363.

(s) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 402.

(t) Apud MOESER Osnabrückischer Geschichte Th. II. Urkunde LX. Bl. 75.

(u) MOESER cit. loc. Urkunde LXII. Bl. 80.

9.) Idem porro Episcopus altari cuidam mansum unum, quem  
frater Thiedhardus ipsi resignaverat, donavit, de curia *Flesbe*, &  
quatuor ejusdem curiae domunculis decimam superaddidit, insuper  
dimidium mansum prope civitatem in villa Holthausen situm, & de  
duabus domibus decimam adjecit, nec non decimam assignavit,  
quam *Wicbertus ministerialis* cum matre sua Thiedburge ipsi episco-  
po voluntarie resignaverat (x) Quid amplius? Dum idem episcopus  
ecclesiae S. CLEMENTIS in Iburg decimam quandam in Hiltene  
cum quibusdam agris incultis ad fratrum stipendia attrinendam con-  
signavit. (y) An inde inferendum, omnes agros incultos ad epis-  
copum pleno jure pertinuisse?

10.) Osnabrugensi Episcopo Arnoldo anno MCLXXVII. ea, quæ  
suis diebus Cœnobio Osede donata sunt, placuit apponere (z)  
“Everbarydus siquidem pincerna decimam cujusdam domus in *Osde*  
“trium solidorum ad luminaria per manum nostram sibi tradidit,  
“stante & consentiente filio suo *Fretherico*, & ibidem cum patre  
“suo fraternitatem accipiente. Proprietatem autem ejusdem domus  
“cum omni integritate *Godeschalcus* de Thifholt eidem ecclesiae li-  
“bera donatione contradidit. Ob cuius rei recompensationem Con-  
“ventus XVIII. marcas sibi dedit, & insuper virginem in Consor-  
“tium suum recepit. Item *Balduinus* judex decimam quandam in  
“Trelia in loco, qui dicitur Uollen, cum filia sua Deo sacrata ibi-  
“dem per manus obtulit nostras, ita tamen quod ecclesia eandem  
“decimam XVIII. marcis redemit a Domino Engelberto de Bodene,  
“cui a Domino Balduino oppignorata fuit „. An iccirco, ut dis-  
fertator jaētitat, decimas confirmavit? Annon teste eodem episco-  
po (a) fratres & sorores collegii sanctæ Gertrudis in Monte quan-  
dam domum in Hanburen, cum decima ipsius triginta quatuor mar-  
cis a Rikezone, fratre Suetheri, & Balduni emerunt præsentibus &  
affensum præbentibus filiis suis Joseph Suethero, Wescelone. An-  
non LUCIUS Papa anno MCLXXXII. Capitulo Osnabrugensi libe-  
ram impedit facultatem, decimas ad ecclesiam ipsam spectantes qui-  
buscunque

(x) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXIII. Bl. 81.

(y) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXVI. Bl. 86.

(z) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXVII. Bl. 88.

(a) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXXIX. Bl. 1c

buscunque modis de manu laicorum redimendi (b) an igitur omnes decimæ ad solum episcopum pleno jure pertinebant?

11.) Idem ARNOLDUS (c) anno MCLXXXIV. Canonicis in Wildeshusen decimam ipsius villæ, quam longo tempore possederant, in singulares usus concessit, præbendis fratrum five Canonico rum Osnabrugensium decimam duarum domorum in villis Westorpe & Seirenbecka sitam (d) nec non cœnobio Oesfeldensi decimam in villa, quæ Laie vocatur, a Comite Simone resignatam assignavi. (e) Annon etiam Joannes de Honhorst (f) decimam super curtim Vugovore, & molendinum ejusdem, & super domum Bergesloet, & super dotem Risenbike libere resignavit, ut eadem decimæ prædicto cœnobio ad stipendum conventus assignarentur? Anno pariter vir quidam nomine Richertus (g) Capitulo Osnabrugensi decimam unam in Ulenberge triginta solventem nummos contulit, quam quatuor marcis comparavit?

12.) Frisingensis Episcopus OTTO (h) anno MCVL. præposituram Schefflaren cum universis, quæ prædecessorum suorum largitate, vel provincialium liberalitate conquista sunt, videlicet Ecclesiis, mancipiis, villis, agris, pratis, pascuis, decimis, cultis, & incultis, fratribus secundum regulam beati AUGUSTINI, & consuetudinem Præmonstratenorum fratrum DEO ibidem servientibus contradidit. Annon in universali Capitulo Frisingæ, subscribentibus ejusdem ecclesiæ prioribus, nec non etiam clericis, ac laicis omnibus consentientibus, & approbantibus. Idem pariter Episcopus Neocellensis monasterii redecimis omnium bonorum suorum anno MCXLIII. ampliavit, & de prædicto claustro æque decimas de omnibus dari inviolabiliter firmavit? Annon teste ipsameri Charta (i) Consilio & authoritate summi Pontificis INNOCENTII Papæ II., consensu quoque cleri, & populi ecclesiæ suæ?

13. Hil.

(b) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXX. Bl. 92.

(c) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXXVII. Bl. 100.

(d) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXXXV. Bl. 113.

(e) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXXXIII. Bl. 111.

(f) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXXXVI. Bl. 113.

(g) Apud MOESER cit. loc. Urkunde LXXX. Bl. 104.

(h) Sacri, & Canonicis Ordinis Præmonstratenensis Annal. Tom. II. Part. II. pag. 482.

(i) Cit. Part. II. pag. 203.

13.) Hildesheimenfis Episcopus BERNHARDUS<sup>(k)</sup> anno M<sup>o</sup>CXLVII.  
 cœnobio S. BARTHOLOMÆI quoque aliqua, quæ ministeriales be-  
 neficii jure possederant, adjumenta, pro possibilitate sua contulit,  
 videlicet in Bredenheim tres mansos cum decimis ejusdem villæ.  
 Annon referente eodem Episcopo <sup>(l)</sup> contulit præterea *Odelricus*,  
 sanctæ Crucis Canonicus, ad utilitatem fratrum in Brethenem XII.  
 jugera, item in eadem villa mansum cum area, persolventem qua-  
 tuor solidos hujus moneta ad lumen in capella sanctæ Mariæ, in  
 Senerthe XXIII. jugera cum area, in Lereth decimam villæ, in Red-  
 sen XX. jugera, item in eadem villa XL. jugera cum area, in  
 Walkenstede & Luisbeke XX. jugera, in Lubike majori mansum,  
 in Odelim XL. jugera cum area, in Ildehusen XXVII. jugera cum  
 area?

14.) Mindensis Episcopus ANNO anno MCLXXXIII. palam fe-  
 cit <sup>(m)</sup>, "Qualiter nos interventu dilecti fratribus nostri Domini Ar-  
 noldi venerabilis Osnabrugensis Episcopi & majoris Præpositi sui  
 Lantfridi, & intuitu divinæ recompensationis atque fraternæ di-  
 lectionis qua Osnabrugensi Ecclesiæ connexi eramus, decimam de-  
 curte quadam in Episcopatu nostro (quæ est fratum majoris Ec-  
 clesiæ in Osnabrugge, sita in villa, quæ dicitur, Pendinæthorp,  
 quæ decima attinebat Curti nostræ in villa, quæ dicitur Ruthorp  
 illam inquam decimam cum omni alia decima totius ejusdem vil-  
 læ, quæ nostri juris fuerant, saepius memoratae Ecclesiæ majori  
 in Osnabrugge contulimus, & in manus ejusdem Ecclesiæ Præ-  
 positi, perpetuo jure sub tali pactione delegavimus, ut quicun-  
 que in eadem Ecclesia Præpositus fuerit, annum canonem, seu  
 pensionem, duodecim videlicet solidorum Osnabrugensis monetæ,  
 scultero Curtis nostræ in prædicta villa Ruthorp, qui fuerit in  
 diebus illis, singulis annis statuto tempore, in festo scilicet S. Mar-  
 gareræ, persolvat „. An ideo omnes decimæ totius diœceseos ad  
 Episcopum pleno jure pertinuerunt?

15.) Halberstadensis Episcopus THEODORICUS anno MCL-  
 XXXVI. viros sanctæ conversationis, & probatæ religionis de Ord-  
 F ne

<sup>(k)</sup> Apud LAUENSTEIN *Histor. Diplomat. Hildes.* P. I. L. IV. Cap. 27.

<sup>(l)</sup> Cit. §. 3.

<sup>(m)</sup> Apud MOESEK cit. loc. *Urkunde LXXIV*, VI. 95.

ne videlicet Præmonstratenſi in Ecclesia beati Thomæ instituere decrevit, addens (n) "Præterea de bonis, quæ Robertus ministerialis beati Stephani a nobis in beneficio tenuit, duos mansos videlicet in Oschersleve cum decima & advocaria, & duas decimas, unam in Emerslībe, & alteram in Ovelde nobis resignata de ipsius petitione pro salute animæ suæ & filii sui Conradi, & uxoris suæ Ammeke, præfatæ Ecclesiæ videlicet B. Mariæ Dei genetricis, & sancti Thomæ Martyris contulimus". Sed annon hancce donationem de consensu Fratrum suorum majoris ecclesiæ factam, & approbatam, ut rata semper maneret, confirmavit? Deinde si Robertus ministerialis non reignasset, nec petiſſet, ut duo mansi cum decima prædictæ ecclesiæ conferrentur, an Episcopus eos conferre potuiffet? Demum an inde sequitur, omnes mansos cum decimis ad episcopum pleno jure pertinuisse?

16.) Salzburgensis Archiepiscopus EBERHARDUS anno MCLX.  
(o) ex utraque parte Anisi usque in flumen Frodniz cum omnibus decimis antiquis & novellis, quæ vel Sacerdotis, vel Episci⁹ juris esse noscuntur, & cum ecclesia sancti GALLI in silva nova, quam ipse & dedicaverat, & baptismalem constituerat, & decimis cunctorum novalium in eadem silva cultorum, & excolendorum dotaverat; omnesque præterea capellas, in ipsa parochia jam ædificatas, vel ædificandas, Admontenſi monasterio, affensi, & petitione venerabilis fratris sui ROMANI, Gurcensis Episcopi, & fratrum suorum Salzburgensis ecclesiæ canoniconum confirmavit. Annon teste eodem Archiepiscopo (p) Udalricus S. Martini de Harperch, & Reinbertus S. Martini de Libniz ministri, fratresque uterini in idem monasterium transtulere jus fundatorum jure hereditario & testamentario competens in ecclesia S. WALPURGIS in Lisnich sita, quam ex nobili prosapia ortus Fridislau cum uxore sua Zlauva in prædio suo fundaverunt, iisque succedens Udalricus item nobilis, jure haereditario sub privilegii confirmatione tunc praesentis Archiepiscopi Salzburgensis, decimis ex omnibus prædiis suis collectis, tam episcopali⁹, quam Parochialibus, Canonico concambio celebrato, ipſam Ecclesiam

(n) Apud LEUCKFELD Antiquit. Nummar. Halberstad. §. 62. lit. c, pag. 94<sup>a</sup>

(o) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III pag. 443.

(p) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 444.

desiam dicitavit, & a subjectione matricis Ecclesiæ, præter jus con-  
ventum convocandi, exemit, ita ut proprium Sacerdotem, jus bap-  
tizandi, sepieliendi colonos, qui eidem Ecclesiæ solverent, decimas  
in perpetuum obtineret? Inde etiam manifeste apparet, tum tem-  
poris jam tum decimas fuisse & episcopales, & parochiales.

17.) Hildesheimensis Episcopus BERNO anno MCXCI. (q) di-  
Terre perhibuit. "Hæc autem sunt prædia, quæ Ecclesiæ Steder-  
burg per soleriam Præpositi Gerhardi de novo conquisita sunt.  
" In Lienethe IX. mansi & XIV. areæ; in Mandeve XIV. mansi &  
" XV. areæ; In Ardesheim VIII. mansi & dimidius cum totidem  
" areis; in Lefforde IX. mansi & IV. areæ, in Linden II. mansi,  
" & II. areæ; in Stokem & in Melverode IV. mansi & dimidius,  
" & totidem areæ; in Swlbere IV. mansi & totidem areæ; in Brun-  
" sele V. mansi & totidem areæ; villa, quæ Hop dicitur, in qua  
" sunt IX. mansi & areæ, & prata, & pascua; in Alerem & Dun-  
" ckerbecke V. mansi & VI. areæ; in Stidiem III. mansi & III.  
" areæ; in Bungenstide II. mansi & II. areæ; in Stidire II. mansi &  
" II. areæ; in Northeim III. mansi, & III. areæ; in Thide IV.  
" mansi & dimidius, & totidem areæ; in Lewadesbuttle I. mansus,  
" in Machtersem I. mansus, in Sulethe IV. mansi, & III. areæ, in  
" Senethe III. mansi, in Stockeim I. mansus; in Alveresheim I. man-  
" sus & area; in Linden molendinum I. & II. mansi; in Meinol-  
" verode unum molendinum. Decima in Senete, decima in Echte,  
" decima in Mandere, & medietas decimæ in Lefforde,. Quid inde?

18.) Trajectensis Episcopus THEODERICUS (r) Decano, &  
Canonicis beati Petri licentiam construendi novam Ecclesiam in ter-  
minis parochiæ suæ indulxit, simulque statuit, "ut prædicti Deca-  
nus, & Canonicus in hac nova Ecclesia constituant Sacerdotem pro  
voluntate sua, & Sacerdos ab ipsis institutus recipiat decimam ab  
Orientali parte usque ad medietatem totius decimæ, quam anti-  
quitus solebant percipere duo Sacerdotes communiter in antiqua  
Ecclesia celebrantes.

(q) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 454.

(r) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 491.

19.) Referente Hildesheimensi Episcopo CONRADO (*s*) "Dominus  
" B. dictus de Gandersheim, miles, Haereditum suorum C. & L. &  
" Juttæ voluntarium habens consensum, dimidiam decimam in Bru-  
" nen, quam ab ipso Episcopo in feodo tenuit „. LXX. libris re-  
ceptris ab ecclesia S. GODEHARDI in Hildesheim, ejusque abbate  
Ludolpho, in manus Episcopi resignavit.

20.) Hildesimensis Episcopi JOANNIS (*t*) verba sunt: " De  
" bonis autem illis, quæ per nostræ devotionis largitionem præfato  
" sunt monasterio acquisita, dimidia decima in Harzen, dimidia de-  
" cima in Bernethen, duo mansi in Sodere, & bona in Quikeborn  
" tantummodo sunt accepta, quæ in utilitatem Ecclesiæ nostræ de  
" confilio capituli nostri disponimus deputare: „

21.) Ac demum Spirensis Episcopus CONRADUS (*u*) anno  
MCCXI. cunctis notum voluit "quod Justatius abbas de Himmen-  
" roth labore suo obtinuit, quod Theodoricus miles de Kirweiler,  
" quidquid juris habebat in Patronatu, & in decinis Ecclesiæ de  
" Medenheim, in manus Domini sui Maruardi de Villre, & ipse  
" Marwardus in manus nostras, quia a nobis tenebat, resignavit;  
" nos vero cum consensu majoris Præpositi, in cuius Archidiaco-  
" natu præfata sita est Ecclesia, salvo tamen jure suo, & assensum  
" præbente Capitulo, liberaliter idem jus cum omnibus appendicis  
" integraliter Ecclesiæ in Himmenroth contulimus „. An jam de-  
monstratum est, omnes baptismales Ecclesias cum ipsis decimis ad  
episcopos pleno jure pertinuisse, atque episcopos de decimis libere  
disposuisse?

## ANTITHESIS XXXVI.

Nunc & Dissertator (*x*) diplomatibus demonstrare admittitur, deci-  
mas novales non minus, quam antiquas, ordinariasque episcopis  
semper competuisse. Audiamus itaque.

I.) Ano-

(*s*) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 535.

(*t*) Apud LEUCKFELD Antiquit. Poeldens. Capit. XVIII. §. 6. lit. b.

(*u*) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 794.

(*x*) §. 21.

1.) Anonymus monachus Tegurinus (y) narrat "Aribo vicesimus Abbas, Comes de Neuburg, electus successit Udalschalco, hic Ecclesiam B. Laurentii in Egern primus construxit, & privilegium de decimis novalium in nostris Ecclesiis percipiendis, ab Heinrico primo hujus nominis Episcopo Frisingensi, ejusque Capitulo imperavit". Quid? Num anonymous ille monachus fide dignior monacho CÆSARIO HEISTERBACHCENSI (z) qui narrat Videns episcopus nihil se verbis proficere, & per ministros diaconi sibi commissum populum in fide subverti, clericum quendam bene sibi notum, & in necromantia peritissimum ad se vocans ait: Sic & sic per tales actum est in civitate mea; rogo te, ut investiges a Diabolo per artem tuam, qui sint? unde veniant? & quae virtute tanta ac tam stupenda operentur miracula? impossibile est enim, ut signa faciant virtute divina, quorum doctrina Deo nimis est contraria. Dicente clero: Domine diu est, quod arti huic renunciavi: Respondit Episcopus: bene cernis, quantum coarctet; vel oportebit me doctrinæ illorum consentire, vel a populo lapidari: injungo ergo tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum, ut mihi in hac parte acquiescas. Obediens clericus episcopo, diabolum vocavit, causam sue vocationis sciscitanti, respondit: Pœnitet me recessisse a te: & quia de cætero magis obsequiosus tibi esse desidero, quam fuerim, rogo, ut dicas mihi, qui sunt homines isti? quæ doctrinæ eorum? vel quæ virtute tanta operentur mirabilia? Respondit diabolus: Mei sunt, & a me missi; & quæ in ore illorum posui, illa prædicant. Respondit clericus: Quid est, quod laedi non possunt? nec in aquis mergi, neque in igne comburi? Respondit iterum Dæmon: Chirographa mea, in quibus homagia, mihi ab eis facta, sunt conscripta, sub ascellis suis inter pellem & carnem consuta conservant, quorum beneficio talia operantur, nec ab aliquo laedi poterunt. Tunc clericus: Quid si ab eis tollerentur? Respondit Dæmon, tunc infirmi essent, si cut cæteri homines. Audiens ista clericus, regraciabatur Dæmoni dicens:

(y) Histor. S. Quirini Cap. VIII. apud OEFELIUM Rer. Boicar. Script. Tom. II. pag. 71.

(z) Illustr. Miracul. Lib. V. Cap. 18. Profecto hæc major fabella Dissertatori videbitur, quam quæ supra Antith. XX, relata est.

“ dicens: Modo recede, & cum vocatus fueris a me iterum, venias;  
 “ Reversus ad episcopum, hæc ei per ordinem recitavit „. Ad hæc  
 annon annonus narrat, privilegium de decimis novalibus, in pro-  
 priis ecclesiis percipiendis, ab episcopo, ejusque Capitulo concessum  
 fuisse? An ergo omnes decimæ novales ad solum episcopum pleno  
 jure pertinuerunt? Quis ita inferet?

2.) Verba Salisburgensis Archiepiscopi CONRADI (a) habent:  
*Instinctu ergo divino, Cleri & populi nostri consilio, tradidimus super reliquias sanctæ Mariæ sanctæque Radegundis in loco, qui dicitur Moldorf, omnes decimas de novalibus Garzensis foresti inter Bramberch, & Hollenstein, nec non & Silvam Eichovve in communem usum canonicorum ibidem Deo servientium.* Ejusque successor, non ut dissertator allegat, CONRADUS II, sed LUCIUS (b) anno MCLXXXV. statuit: “ Ut, quasunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Omnes decimæ Parochiæ vestræ, in qua monasterium vestrum consistit, & aliae decimæ, quas sive in Episcopatu Salzburgensi, sive in Episcopatu Friesingensi ecclesia vestra juste & legitime possidet. Omnes eriam decimæ de novalibus Garzensis foresti inter Bramberg & Holenstein, nec non & Sylvam Aichenawe, quam Conradus Archiepiscopus senior ecclesiæ vestræ contulit „. De queis novalibus ergo LUCIUS disposuit? Annon contra CONRADUS clerum populumque adhibuit?

3.) Halberstadensis Episcopus RUDOLPHUS eodem sensu, & caritate, antecessoris sui REINHARDI vestigia calcans, anno MCXXVII. omnia, quæ ecclesiæ CHRISTI, & B. Laurentii titulo insignitæ in Scheninge collata sunt, ab ipso, & clavibus cœli confirmata; sive quæ Præpositorum industria, sive quorumlibet fidelium devotione acquisita sunt, testamenti donatione confirmavit. Quænam vero dictæ ecclesiæ fuerant collata? Ipse Episcopus (c) recenset: “ Hæc

(a) *Monumenta Boica Vol. I. Num. VIII. pag. 15.*

(b) *Cit. Vol. I. Num. IV. pag. 61.*

(c) *Apud LEUCKFELD Antiquitat. Nummar. Halberstadt. §. 21. lit. c. pag. 58.*

" Hæc sunt prædia B. Laurentii in Scheninge XXII. areae cum uti.  
 " litatibus suis & X. mansi & dimidiis, singuli VIII. solidos sol-  
 " ventes, cum pratis & reliquis utilitatibus. III. Molendina cum  
 " piscinis, duo in villa, unum in agro. In valle, quæ dicitur Merd-  
 " fidal lucus unus, & tria Pansthalia. Decimæ novalium, quæ per  
 " omnem Scheningensem Parochiam sita sunt. In villa, quæ dici-  
 " tur Asbike VI. areae cum sex mansis, singulis VIII. solidos sol-  
 " ventibus, cum pratis & usibus sylvarum. In villa, quæ dicitur  
 " Welle I. area, & unus mansus persolvens IX. solidos. In villa,  
 " quæ dicitur Salingke VIII. areae & X. mansi & dimidiis, cum  
 " pratis & usibus sylvarum. In villa, quæ dicitur Geroldestorp VIII.  
 " areae, cum quinque Mansis, qui solvunt L. solidos. In villa, quæ  
 " dicitur Debbenhem V. areae, & V. mansi, & VII. jugeres, &  
 " unum molendinum cum usibus pratorum & sylvarum. In villa,  
 " quæ dicitur Wardegestorp, duæ areae cum II. mansis, qui solvant  
 " XIV. solidos. In villa, quæ dicitur Wobicke I. area, & VIII. ju-  
 " geres cum usibus sylvarum. In villa, quæ dicitur Banesleve I.  
 " area, & I. mansus, VIII. solidos persolvens cum usibus pratorum  
 " & sylvarum. In villa, quæ dicitur Iggersleve II. areae & II. man-  
 " si. In villa, quæ dicitur Bademstide I. area, & I. mansus. In  
 " villa, quæ dicitur Getekote I. area, & unus mansus, V. soli-  
 " dos persolvens cum usibus pratorum & sylvarum. In villa,  
 " quæ dicitur Dalversleve I. area & I. mansus, persolvens IX. soli-  
 " dos. In villa quæ dicitur Edentorp I. area, & I. mansus. In villa,  
 " quæ dicitur Hermigestorp XVIII. areae, & XIX. mansi. In villa,  
 " quæ dicitur Balligge X. mansi. In villa, quæ dicitur Swarthelose  
 " VII. areae cum VII. mansis. Villa, quæ dicitur Ackenthorp, tota  
 " est hujus Ecclesiæ. In villa, quæ dicitur Hamerickestorp XVI.  
 " areae cum XIII. mansis. In villa, quæ dicitur Bulsterigge II. areae  
 " cum II. mansis. In villa, quæ dicitur Boya I. area, & I. mansus.  
 " In villa, quæ dicitur Binthorp III. areae, & duo mansi & dimi-  
 " dius. Villa, quæ dicitur Dorplogo cum omni utilitate sua. Villa,  
 " quæ dicitur Lintwine dimidia cum omni utilitate sua. Villa, quæ  
 " dicitur Schorimbekc, tota est hujus Ecclesiæ, exceptis tribus man-  
 " sis cum omni utilitate sua. In villa, quæ dicitur Allende, III. man-  
 " si, & dimidiis, & duæ areae. In villa, quæ dicitur Thietmerode I.  
 " manus & I. area. In Machtenuhusen unum Panstale, in Beckenhun-  
 " sen dimidium, quæ exsolvunt XXIII. solidos. In villa, quæ dicitur

" Suam-

“ Suamme, XII. mansi & dimidiis, & XV. areæ. In villa, quæ  
 “ dicitur Luckestorp, VIII. mansi & XI areæ. In villa, quæ dicitur  
 “ Bardewick, quædam prædia quatuor solidos solvunt. In villa, quæ  
 “ dicitur Hellese, III. mansi & VIII. areæ, & I. Sylva. In villa,  
 “ quæ dicitur Rochenesleve, VIII. mansi & XII. areæ „ Quis inde  
 inferet, omnia hæcce non nisi ab episcopo REINHARDO collata &  
 concessa fuisse, præcipue cum RUDOLPHUS confirmarit non so-  
 lum, quæ ab antecessore REINHARDO collata, verum etiam, quæ præ-  
 positorum industria, vel quorumlibet fidelium devotione acquisita sunt.  
 Quis itaque divinabit, quo modo novales decimæ fuerint acquisitæ?

4.) Concilium Magdeburgense anno MCLXII. sub WIGMAN-  
 NO Archiepiscopo habitum (d) refert “Ea propter piæ petitioni  
 “ Venerandi Arnoldi, Nienburgensis Monasterii Abbatis, acquies-  
 centes, ex consilio fratrum nostrorum, cæterorumque fidelium,  
 omnem decimam de Burchwardio, quod vocatur Stene, secus Mil-  
 dam fluvium, remotis antiquorum sclavorum Colonis, quæ Deo  
 propitio nunc, & in futurum justis modis acquiri potuerit, de  
 supra scripto Burchwardio cum omnibus attinentiis suis, & IV.  
 Villis Musice, Chozice, Slorobe, nominatis, Nienburgensi Cæno-  
 bio, in usum Abbatis, fratrumque ejus, Christo, ipsiusque beate  
 Genitrici famulantium, nunc & omnibus in futurum temporibus  
 possidenda legitima traditione donamus „ An igitur Archiepis-  
 copus pariter donavit novales, quæ DEO propitio in nunc & in fu-  
 turum justis modis adquiri potuerint?

5.) In Synodo Friscasi, in Carinthia anno MCLX. habita,  
 EBERHARDUS Salisburgensis Archiepiscopus donationem decimæ  
 rum Richerspergensi cænobio a prædecessore suo factam non ran-  
 tum confirmavit, verum etiam addidit (e) Certiorum præfigimus, ter-  
 minum, videlicet fluvium, qui dicitur Pincab, usque ad cuius ripam, no-  
 valia in Sylva Putinenſi ad præsens culta, & in posterum colenda, excepta  
 canonica portione Plebanorum, in decimis fructuum terræ, atque anima-  
 lium, proveniunt, in usus fratrum regulariter conversantium in præfato  
 cænobo. An sic Archiepiscopus solus disposuit? Annon cum uni-  
 versa Synodo collaudante? Porro dum successor CONRADUS (f)  
 anno

(d) Apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. III. pag. 388.

(e) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 386.

(f) Monum. Boica Vol. III. Num. CXXIV. pag. 477.

anno MCLXXIX. voluit "ut omnia novalia, quæ in silva præfata in-  
 tra terminos præsignatos exquisita, & exquirenda, Parochiæ Prem-  
 berch continuabuntur, & in Parochias novas formabuntur, in ea-  
 dem constitutione permaneant, ita videlicet, ut exceptis debitis  
 portionibus sacerdotis plebani, decimæ omnes vinearum, frugum,  
 & animalium persolvantur ad prædictam Ecclesiam, scilicet Richers-  
 pergensem, cum integra justitia nostro juri debita, & ad nostram  
 dispensationem pertinente. Secundum scita canonum, quibus mo-  
 nemur habere curam pauperum". Annon una cum Clero adsti-  
 terunt plures nobiles laici, nominatim OTTO junior Palatinus, &  
 frater ejus FRIDERICUS. CHOUNRADUS Comes de Pilststein.  
 WALCHUNUS de Stein. WILHELMUS de Wageneberge. STAR-  
 QUANDUS de Merre. LUIPOLDUS de Walde?

6.) In publica Synodo Oshersleveni ODALERICUS Halbersta-  
 denis Episcopus anno MCLXXVIII. (g) Hamerslonensi monasterio  
 decimas super propria monasterii novalia, ubique in Episcopio  
 vel necessaria sint, vel postmodum fuerint, nominatim decimam no-  
 valium in sylva Beckendorp, & Baddenleve contradidit. An episco-  
 pus solus disposuit? An inde porro sequitur, novales episcopo com-  
 periisse? & concessionem decimarum simplicem novales non compre-  
 hendere? Verum de hoc plura suo loco.

7.) Jam ante notatus (h) EBERHARDUS Salisburgensis Archie-  
 piscopus assensu & petitione vererabilis fratris *Romani Gurcensis*  
 Episcopi, & fratrum suorum Salisburgensis ecclesiæ canonicorum,  
 sed & ministerialium suorum S. Radberti connivenientia Admontensi  
 coenobio decimas antiquas, & novellas, pariter decimas novalium in  
 sylva nova cultorum atque excolendorum confirmavit. An solus  
 libere disposuit?

8.) Urique CONRADUS Sabinensis Episcopus, & Salzburgenis  
 Archiepiscopus, (i) non, ut dissertator refert, canoniae sive Abbatiae  
 Chiemscensi, quam ARNOLFUS Imperator Salisburgensi ecclesiæ  
 anno DCCCXCI. donaverat, (k) atque in qua CONRADUS Salis-  
 burgensis

G

(g) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 417.

(h) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 442.

(i) Monumenta Boica Vol. II. Num. CLXXII. pag. 337.

(k) Cit. Vol. II. Num. III. pag. 381.

burgensis Archiepiscopus mutato irregularium clericorum statu, communem vitam canonicorum secundum regulam beati AUGUSTINI instituerat, (l) sed altari sanctorum martyrum XIXTI, & SEBASTIANI in Kiemisse confirmavit. Decimariensem quoque apud HARDE in quodam novali confirmavit in tota illa silva quæsitis, & inquisitis, cultis, & incultis, quam ante tradiderat piæ memoriae EBERHARDUS Archiepiscopus in dotem super altare S. Michaelis in superiori Ecclesia. Num inde liquet, quo modo EBERHARDUS Archiepiscopus hanc decimationem ante tradiderit? Immo non ab eodem EBERHARDO, sed ab ecclesia Salzeburgenii Præpositus Riechersbergensis tertiam partem decimarum novalium in Charinthia cantante diplomate (m) obtinuit. Quam fideliter itaque dissertator allegat?

9.) ADALBERTUS Salisburgensis Archiepiscopus anno MCXCIX.  
(n) fassus est: «Dilectorum filiorum nostrorum præpositi Wichmanni, cæterorumque fratum loci S. Zenonis in Halle precibus deicti, duas partes decimationis, quæ nostro juri accedere debuerunt, de novalibus in eorum prædio, quod dicitur Insel, in plebe Vohindorf, tam in cultis, quam in colendis, ipsorum Ecclesiae perpetuo jure contulimus ». Si ergo ipse Archiepiscopus edidit, juri suo duas tantum partes decimationis accedere debuisse, quo jure dissertator illi omnes novales adscribet?

10.) In Synodo Gatersleveni anno MCLXXXIX. habita Halberstadiensis Episcopus THEODORICUS (o) notum fecit «Decimam vineæ in Gasterstede, & decimam quorundam agrorum in Bornsrede, ibidem Ecclesiæ adjacentium, & super prædia in villa Entzingen, quæ Beno ministerialis noster possederat, liberam advocatiā cum ipsis prædiis, eo mortuo, memoratae Ecclesiæ semper mansuris, in plena libertate pia devotione contradimus. Præterea quieti & utilitati prædictæ Ecclesiæ impotenterum providere volentes, quæcunque eradicatis fruticetis in Novalia fideles inibi redigentes, more venerabilium antecessorum nostrorum Reinb. Ottomis, Rudol-

(l) Cit. Vol. II. Num. I. pag. 279.

(m) Monumenta Boica Vol. III. Num. CXI. pag. 451.

(n) Cit. Vol. III. Num. XXII. pag. 556.

(o) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 449.

“ Rudolphi, Odalrici, libera ab omni decimatione eis concedimus „  
“ An ergo in plena Synodo solus Episcopus disposuit?

11.) In Synodo Verdensi RUDOLPHUS Verdensis Episcopus (p) ecclesiæ in Buxtehude decimam super novalia de Buxtehude usque ad Hollandros conculit. Ast quam decimam contulit? Nonne decimam, quam alter fratrum nobilium de Buxtehude ipsi ante resignaverat? Dein qualiter contulit? Nonne habito super hoc negotio Verdensis Capituli, immo totius ecclesiæ consilio?

12.) SIFRIDUS Moguntinus Archiepiscopus anno MLXXIV. (q) patet fecit “ Quod pago nostro in Rudensham, & in Ibingen, quedam terra inulta jacebat, quæ per omnia nostre jurisdictioni attinebat, quam populus noster DEI in dictis villis nostris renovare & excolere ex nostra concessione querebat. Super hoc habita deliberatione cum fidelibus nostris, clericis & laicis, satisfecimus petitioni populi nostri, & terram illam montuosam & inultam eis concessimus, ut eam excoherent, & in usum vinearum redigerent. Jussimus ergo terram illam eis dividi, & quid inde, cum eam excoluissent & fructiferam reddidissent, solvere deberent, jussimus distingui. Hoc etiam in pactione posuimus, ut de manso, qui fiscalinus dicitur, annuatim septem Ame vini; & de singulis aliis mansis carrata vini, & de jugere quod majorem fertilitatem habet Urna vini, & de singulis aliis jugeribus, quæ minus valere dinoscerentur, dimidia urna daretur; & hæc omnia singulis annis sub nomine & jure decime solverentur „. Anno ergo Archiepiscopus de inulta terra, quæ jurisdictioni ejus suberat, & non de novalibus disposuit?

13.) Teste JOANNE AVENTINO (r) ALEERTUS, Ratisbonensis ecclesiæ Episcopus, anno MCCLVI. Hermanno Abbari, Conventui Monasterii inferioris alta ob hospitalitatis obsequia, sibi & antecessoribus exhibita, præcipue ob religionem, de novalibus, ubi prædia habent, duas decimarum partes dat, tertiam Parochio. An-

(p) Apud HARTZHEIM cit. Tom. III. pag. 792.

(q) Apud GUDENUM Cod. Diplom. Tom. I. Num. CXLII. pag. 381.

(r) Apud OEFELIUM Tom. I. pag. 721.

non eodem AVENTINO teste (s) OTTO Comes Palatinus Rheni eidem monasterio Altahæ inferioris tradidit decimas suarum rerum, quæ in cellariis, vel granariis castrorum Flinsberg, & Weizzenstain, & in prædiis in Schuttenhoven colliguntur, vel colligi possunt in futuro? An ergo omnes decimæ tam antiquæ quam novales ad episcopos pleno jure pertinuerunt?

14.) Salisburgensis Archiepiscopus ULRICUS (t) anno MCCLXII. decrevit, omnes etiam decimas novalium præteriorum, praesentium, & futurorum, quæ Abbatis, & monasterii de Rot sumptibus exculta fuerint, integre ad ipsum pertinere. Quæ vero novalia? Annō novalia in Pillerse, in cujus ecclesia dictus Abbas jus patronatus obtinebat? Cujus vero diœceseos erat ista ecclesia? Annō teste ipso Archiepiscopo Chimensis diœceseos? Cur igitur non Episcopus Chimensis, sed Archiepiscopus de novalibus disposuit?

15.) Tandem Henricus Ratisbonensis Episcopus (u) anno MCCLXXIX. declaravit: "Nos ad preces ipsius (nempe abbaris in "Rot) & instantiam, de plena voluntate & consensu nostri capituli, "decimas noyalium, nobis & successoribus nostris publico jure de- "bitas, quæ de sylva sita inter montes, qui dicuntur Ozzer, Adv- "yich, & Dwerheke juxta parochiam Choßing, & inter flumina, "quæ dicuntur Imber Albus & Lomn, quam ipsi de novo extirpa- "runt & adhuc extirpare intendunt, nunc & in futurum poterunt "provenire, sibi & monasterio suo concessione perpetua confirmam- "mus & donamus". Dic Sodes, an plena voluntas, & consensus Capituli requirebatur? An ergo novalia ad episcopum pleno jure pertinebant?

Quid amplius? Quicunque historiographos, ac collectores diplo- matum perlustraverit, facile etiam invenerit, Reges, Principes, Co- mites, aliosque nobiles ecclesiis ac coenobiis decimas tam ordinarias, quam novales concessisse. Quid amplius? Capitis secundi sectio pri- ma jam sat bibit. Rivos itaque claudamus, donec secunda Sectio SITIET.

(s) Apud OEFELIUM cit. Tom. I. pag. 727.

(t) Monumenta Boica Vol. I. Num. XLII, pag. 396.

(u) Cit. Vol. I. Num. LII, pag. 406.